Prælectiones

DOCTISSIMI VI-RI GVILIELMI WHITAKERI

NVPER SACRÆ THEOLOGIÆ
IN ACADEMIA CANTABRI-
giensi *Doctoris & Professoris Regij, & Collegij*
S. Ioannis Evangelistæ in eadem
Academia Præfecti.

In quibus tractatur Controversia de Concilijs contra Pontificios, inprimis *Robertum Bellarminum* Iesuitam, in sex Quæstiones distributa, quas pagina sequens indicabit.



Edita opera & cura Ioannis Allenson sacræ Theologiæ Baccalaurei & Collegij prædicti Socij.

His adiecta est in fine alia eiusdem Prælectio alterius argumenti, coram multis Nobilissimis viris, & plurimis Generosis habita.

CANTABRIGIÆ.
Excudebat Iohannes Legat. 1600.

Ordo Quæstionum.

1 *An sint cogenda Concilia.*
2 *A quo & cuius authoritate cogenda.*
3 *Ex quo genere hominum constare debeant.*
4 *Cuius sit ijs præsidere.*
5 *An sint supra Papam.*
6 *An errare possint.*

Lectori benevolo S.

PErgo, quantum in me est, tuis commodis consulere (amice lector) tuæq́ expectationi & desiderio pro virili satisfacere. Post editas enim à me superiore anno doctissimi Whitakeri Prælectiones in Cõtroversiam de Ecclesia, en prodit tandem hic libellus, in quo Controversia de Conciliis, quæ loco & ordine proxima est, quemadmodum ex tabula Controversiarum apparet, explicatur. Ex cuius certè lectione & diligenti observatione, eam vti spero, non vtilitatem modò, verumetiam iucunditatem percipies, vt te laboris tui nunquam profectò pœnituerit. Hinc enim intelliges, quis Ecclesiæ status fuerit ab initio sub piis Imperatoribus, antequam Romanus Pontifex ad illud potentiæ & dignitatis culmẽ aspiraverit, vt non modò in universam Christiani orbis Ecclesiam tyrannidem exerceret, verumetiã Imperatores & Principes Christianos pro ludibrio haberet, & tantùm nõ sub pedibus conculcaret; quãtaq́ postea rerum omnium mutatio secuta est, ex quo omnia in Ecclesia Dei pro illius arbitrio geri, & ex illius nutu atq́ imperio pendere cæperunt. Eò enim res rediit, ut qui olim ad Imperatorum pedes provolutus, humillimè ab illis petebat, vt Concilia Authoritate sua indici curarẽt, is nunc hanc omnẽ Concilia indicendi Authoritatẽ sibi soli vendicet, & ad se solum pertinere putet; qui olim à Concilio in ordinem cogi & poterat & solebat, is nunc Concilij cuiusq́ habe-

nas

nas quasi manu teneat, einsdemq; decreta pro suo arbitrio rata vel irrita faciat. Quae etsi tristē & calamitosam horum temporum, in qua nos inciaimus, cōditionē declarāt, tamē propter varias rerū mutationes & viciisitudines; nō possūt nō legentiū animos mirifica quadā delectatione perfundere. Verùm de his rebus omnibus malim te ab Authore ipso quā à me certiorem fieri. Ad illum igitur te remitto. Si verò in rationibus & responsionibus nonnullis brevior tibi videatur, quàm tu fortasse cuperes & expectares, cogitare debes, hæc ita à me edi, quemadmodum sunt ab ore prælegentis excepta, quæ ille procul dubio, si ei Deus longiorem vitæ usuram concessisset, & pluribus dilatare, & limatiùs perpolire, in animo habuit. Ad me verò quod attinet, etsi poteram fortasse multa multis in locis adijcere, tamen religio mihi fuit ab Authoris vestigijs vel latū (quod aiunt) vnguem discedere. In testimonijs, quæ citantur, examinandis, quam potui operā & curam adhibui: si fortè alicubi lapsus fuero, (quod in tanta testimoniorū multitudine facile accidere potuit) tuam (humanissime Lector) & in ignoscendo facilitatem, & in corrigendo humanitatem imploro. Sic hunc libellum tibi, te verò, meq; item ipsum Deo cōmendo. Vale. E Collegio S. Ioannis Evangelistæ in Academia Cantabrigiensi. Aprilis 16. 1600.



TERTIAE CONTROVERSIAE DE CONCILIIS QUÆSTIO PRIMA, DE NECESSITATE CONCILIORUM.

An scilicet cogenda sint Concilia omnino.

Caput primum, in quo Controversia hæc omnis in suas particulares Quæstiones distribuitur.



LVcas Evangelista, Act. 15. 6. hæc verba habet. Συνήχθησαν δὲ οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι, ἰδεῖν περὶ τοῦ λόγου τούτου. *Congregati sunt igitur Apostoli & Presbyteri ut dispicerent hac de re.* Instituenti mihi novam de Concilijs Controversiam tractare, hæc verba in mentem veniebant, in quibus mentio fit Concilij celeberrimi Hierosolymis habiti ab Apostolis & Presbyteris circiter annum decimum sextum aut decimum octavũ post Christi ascensionem. Cuius quidem Concilij congregandi ea occasio fuit, quæ totam Ecclesiam illo tempore commoverat. Cùm enim Paulus & Barnabas regiones multas peragrâssent, & E-

vangelij semen inter Gentes sparsissent, magnumque populum ad Christi nomen convertissent, & multas Ecclesias passim fundâssent: exorti sunt nonnulli veterum ceremoniarum nimium studiosi, qui religionem Christianam præclarè ab illis fundatam labefactare, & Ecclesiás ab illis rectè constitutas perturbare conati sunt. Quare cùm Paulus Antiochiam redijsset, discipuli quidā Hierosolymitani, qui sic Christum susceperant, ut Moysen retinerent, & utrique simul inservire cupiebant, Antiochiam profecti Paulo reclamare sanam doctrinam prædicāti, & circumcisionem urgere incipiunt, palamq; & confidenter docere, nisi qui circumcidatur, servari non posse. Qua quidem in re tam acres fuerunt, ut non modò cum Paulo & Barnaba disputarent, sed gravissimam etiam in Ecclesia Dei contentionem ac seditionem excitarent. Sic semper Satanas invidia plenus conatur suum pestiferum lolium cum salutari semine Evangelicæ doctrinæ miscere. Itaque non plebeios quosdam homunculos, sed Pharisæos, Christianos, Hierosolymitanos, cùm Apostolis versatos, instigat atque impellit, ut Antiochiam proficiscerentur, quò cum fide atque authoritate maiore Apostolicam sanamq; doctrinam impugnarent. Ergo post disceptationem diuturnam, cùm illi emissarij in suscepta sententia persisterent, placuit ut res ad Apostolos Ecclesiamq; Hierosolymitanam referretur. Sic Paulus ac Barnabas Hierosolymā contendunt, & postquam

quam narrâſſent de ſuis laboribus, fructuq; maximo ſui miniſterij, deinceps exponunt, quemadmodum Phariſæi quidam gravem contentionem excitaverant, aperteq; docuerant, oportere non modò circumcidi, ſed uniuerſam quoque Moſis legem ſervare, ſeq; veniſſe ut Controverſiam ad Apoſtolos Eccleſiamq; deferrẽt. His rebus expoſitis, Apoſtoli ac Presbyteri cõveniunt, ut de cauſa hac longè graviſſima diſpicerent, ac ſtatuerent, & multorum offenſioni occurrerent. Auguſtum inprimis & nobile Concilium, cui ipſi Apoſtoli interfuerunt, & eximij illi Chriſti atque Apoſtolorum diſcipuli, in quo (ſi unquam in ullo Concilio) veritas vicit atque obtinuit, & Eccleſiæ fidei ac paci conſultum eſt, qua de cauſa legitima Concilia haberi ſolent, cuiuſmodi multa habita ſunt in Eccleſia, etſi non eiuſdem generis omnia. Ergo de Concilijs dicturi, & Controverſiam inprimis utilem explicaturi, videamus primò quæ ſint huius loci ac Quæſtionis partes, de quibus nobis diſſerendum eſt. Eâ verò diligentiâ utemur in hac Controverſia, qua hactenus in alijs Controverſijs uſi ſumus.

Sunt autem hæ queſtiones de Concilijs, quę ſunt à nobis ſigillatim tractandæ. Congregati ſunt Apoſtoli & Presbyteri &c. ergo primo loco quærendum eſt, utrùm Concilia neceſſaria ſint, & an ſint cogenda omnino, de qua tamen quæſtione non magna inter nos & Adverſarios controverſia eſt. Congregati ſunt Apoſtoli

 & Pre-

& Presbyteri: ergo proximo loco quærendum est, cuius sit Concilia congregare. Congregati sunt Apostoli & Presbyteri; ergo tertio loco quærendum est, qui homines Concilijs interesse debeant, & ex quo hominum genere debeant constare. Congregati sunt Apostoli & Presbyteri; ergo quarto loco quærendum est, quis Concilijs præesse & moderari debeat. Congregati sunt Apostoli & Presbyteri, ut dispicerent hac de re; ergo quinto loco quærendum est, utrùm Concilij an Papæ maior sit authoritas. Congregati sunt Apostoli & Presbyteri; ergo sexto & ultimo loco quærendum est, utrùm Concilia possint errare. Has quæstiones sic tractabo, ut à me propositæ sunt, quanta perspicuitate, diligentia, & fructu possum. Erit vero hæc tractatio Theologo utilis inprimis & necessaria. Continet enim & explicat historiam omnium seculorum de statu Ecclesiæ, quæ est inprimis cognitu necessaria. Nam in quacunque Republica vivimus, historiam eius scire, & qualis illius status fuerit, ab initio intelligere plurimum interest: quantò magis Ecclesiæ?

CAPVT 2.

De Concilij definitione & distributione.

SEd antequam ad quæstiones istas accedo, sunt quædam præfanda, quę ad harum controversiarum statum meliùs intelligendum, nostramque & Adversariorum sententiam cognoscendam

noſcendam plurimum conducunt. Concilium verò dicitur, non à conſulendo aut conſentiendo, ut vult Feſtus, ſed à concalando, hoc eſt, convocando, ſive congregando, quod rei vim naturamque declarat. Concilium enim quid aliud eſt, ſi communem rei definitionem ſpectemus, quàm hominum cætus, aut concio, aut convocatio, aut conventus, aut multitudo collecta ac convocata ab aliquo ad conſultandum aut dijudicandum de rebus communibus. Sic autem ipſa natura docuit, ut cùm occaſio aliqua inciderit, quæ pertinet ad multos, quæq; communem ſalutem ac commodum attingit, conveniant homines prudentes, qui provideant, quantum poſſunt, ne quid Reſpublica detrimenti capiat. Cùm enim homo animal ſit ad ſocietatem & communionem natum, quæ ſine conſilio contineri non poteſt; edocti homines à natura viderunt ſibi neceſſarium eſſe, ut in communi conventu deliberarent. Nullus enim ſtatus diu conſervari poteſt, niſi qui ſapientia & conſilio multorum nitatur: ut quanquam ſummum imperium ſit unius, is multorum tamen conſilio utatur.

Sunt autem hæc Concilia duorum generum, cùm duplex ſit materia illarum rerum, de quibus homines conſultare ſolent. Nam alia ſunt politica, alia Eccleſiaſtica. Politica ſunt, quæ de rebus ad ſtatum externum Reipublicæ pertinentibus congregantur, vt quando leges ſunt ferendæ, magiſtratus eligendi, bellum

gerendum, aut communis aliqua calamitas depellenda: vt in noſtra Reipublica, cùm gravis aliqua deliberatio inciderit, publicum omnium ordinum Concilium convocatur, quod nos Parlamentum appellamus. Eccleſiaſtica verò Concilia ſunt hominum piorum ac religioſorum de rebus Eccleſiæ conſultantium, quorum omnis conſultatio eò ſpectat: non vt huius vitæ commoda quærantur, ſed vt Dei regnum amplificetur, & vera pietas ac religio vbiq; floreat. Nos de Eccleſiaſticis tātùm Concilijs dicemus, quæ ſunt trium generum. Quædam enim ſunt particularia, quādo pauci homines ex vno loco colliguntur, vt res Eccleſiaſticas cōſtituant, aut aliquod conſilium ineant, cuiuſmodi fuit illud Concilium, de quo Lucas Act. 15. Non enim omnes vndique Paſtores, Presbyteri, Prophetæ, & Evangeliſtæ convenerunt, ſed qui Hieroſolymis tantùm fuerunt, vbi quædam quaſi religionis arx & caput Eccleſiæ fuit. Nec magnus ille cōventus eſſe potuit, propter Sacerdotes & Phariſæos, quibus circum ſepti fuerunt. Hę κατὰ τόπους σύνοδοι dicātur, vel σύνοδοι τοπικαί. Quædam ſunt Provincialia aut Nationalia, quando vnius gentis Epiſcopi & Presbyteri congregantur, vt ſuis Eccleſijs conſulant, vt leges Eccleſiaſticas genti ſuæ ſalutares ſanciant, & tollant ea quæ cum pietate pugnant; cuiuſmodi olim in Africa & Hiſpania & alijs partibus orbis permulta habita ſunt, de quibus in libris Conciliorum legimus. Hæ σύνοδοι κατ' ἐπαρχίας appellentur. Quędam

dam sunt vniversalia, cùm non ex vna gente, sed ex toto orbe Christiano Episcopi ac Presbyteri propter maximas causas publica authoritate congregantur, vt olim à pijs Imperatoribus sæpe, ad quæ ex singulis ferè provincijs, Africæ, Asiæ, Europæ, aliqui convenerunt. Non enim omnes ad eiusmodi concilia convenire debent, ne greges passim deserantur. Hæ vocentur σύνοδοι οἰκουμενικαὶ, vel quia ex omni parte orbis ad eas convenitur, vel quia, vt quidam volunt, ab Imperatore cōgregabātur, qui olim totius orbis Christiani imperium habuit.

Bellarminus lib. 1. de Concil. & Eccles. cap. 4. dupliciter partitur Concilia. Prior divisio est de varijs generibus Conciliorum, altera de varia illorum authoritate. Quod ad primam partitionem attinet, ait esse quatuor genera Conciliorum, Generalia, Nationalia, Provincialia, Dioecesana. Trium priorum Augustinus meminit lib. 2. contra Donatist. cap. 3: membri verò quarti Concilium Toletanum quartum cap. 25. Hæc cuiusmodi sint, nunc audiamus. Dioecesana Concilia sunt, in quibus Presbyteri vnius tantùm Episcopatus conveniunt. Provincialia sūt, in quibus omnes Episcopi conveniunt sub vno Archiepiscopo aut Metropolita. Nationalia sunt, cùm omnes Episcopi & Archiepiscopi vnius regni conveniunt. Generalia, quibus interesse possunt ac debent Episcopi totius orbis, nisi legitimè impediantur. Alterius quoq; distributionis quatuor membra

sunt. Quędam enim ait approbata esse ab Apostolica sede, quædam omnino reprobata, quædam partim approbata, partim reprobata, quędam nec approbata, nec reprobata, cuiusmodi fuerunt minuta quædam Concilia particularia. Hæc cuiusmodi sint, paucis videndũ est. Quartum membrum prætermittit; de reliquis sigillatim agit. Quod ad primum genus attinet, ea ait huiusmodi esse, quæ authoritate sedis Apostolicæ approbata sunt. Sed quænam illa tandẽ sunt? Sunt (inquit) numero octodecim hucusq;. *Primum* fuit Nicenum primum contra Arium congregatum, omnium hæreticorũ principem, qui Christi divinitatem negavit, in quo fuerunt Episcopi. 318. quo nullum certè augustius vel celebrius fuit. *Secundum* est Constantinopolitanum primum contra Macedonium coactum, qui Spiritus sancti divinitatem negavit, in quo fuerunt Episcopi 150. *Tertium* est Ephesinum primum contra Nestorium coactum, qui duas in Christo personas contra fidem Catholicam constituit, in quo fuerunt Episcopi 200. *Quartum* est Concilium Chalcedonense contra Eutychetem, qui vnicam tantùm naturam in Christo statuebat, in quo fuerunt Episcopi 630. Hæc quatuor Concilia summæ semper authoritatis fuerunt in Ecclesia Dei, quæ Gregorius se venerari dixit, vt quatuor Evangelia. *Quintum* est Constantinopolitanum secundum contra Originem, in quo fuerunt Episcopi 165. De hoc Concilio nõ multa legimus, sed

tamen

tamen huius quædam in historijs Ecclesiasticis reperiuntur. *Sextum* est Cõstantinopolitanum tertium contra Monothelitas coactum, qui vnicam tantùm voluntatẽ Christo tribuerunt. Cõstabat verò ex Episcopis 289. *Septimum* numerant Adversarij Nicenum secundum, contra Iconomachos coactum, quod constabat ex 350. Episcopis. De hoc postea plura dicentur. Fuit certè impium & sceleratum Concilium. *Octavũ* est Constantinopolitanum quartum de causa Photij, in quo fuerunt Episcopi 383. *Nonum* est Lateranense primum contra Saracenos pro terra sancta recuperãda, in quo fuerunt Episcopi 900. & amplius. *Decimum* est Lateranense secundum contra Antipapas, in quo fuerunt Episcopi 1000. *Vndecimum* est Lateranense tertiũ contra Waldenses, cui interfuerunt ferè 300. Episcopi. *Duodecimum* est Lateranense quartum contra varias hæreses. & pro terra itidem sancta recuperanda, in quo fuerunt Episcopi 473. & Patres alij permulti. *Decimum tertium* est Lugdunense primum, contra Fridericum Imperatorem à Papa coactum, & pro terra sancta. De numero Episcoporum nil ait Bellarminus, sed fuerunt plus quàm 300. *Decimum quartum* est Lugdunense secundum contra errorem Græcorum, qui Spiritum sanctum à Patre tantùm non à filio processisse affirmabant. Constabat verò ex Patribus ferè mille, eique Concilio Bonaventura interfuit. *Decimumquintum* est Viennense à Clemente coa-

coactum contra varias hæreſes, in quo fuerunt Epiſcopi 300. *Decimum ſextum* eſt Florētinum contra Græcorum errores, in quo fuerunt Patres 141. Non video quomodo generale dici poſſit. *Decimum ſeptimum* eſt Lateranenſe quintum ſub Iulio ſecundo & Leone decimo contra ſchiſmata, in quo patres fuerunt non admodum multi, nempe 114. Vix generale hoc fuit. *Decimum octavum* eſt Tridentinum contra Lutheranos, cui interfuerūt Cardinales ſex, legati quatuor, Patriarchæ tres, Archiepiſcopi triginta duo, Epiſcopi 228, Abbates quinq;. In exitu forſan Concilii tam multi reperti ſunt, ſed in principio pauciores fuerunt, credo triginta aut quadraginta Epiſcopi cum Legatis Pontificis Romani. Sed poſtea magna acceſſio facta eſt. Nam novos quotidie Epiſcopos creavit Pontifex, eoſq; ad Concilium miſit, vt maior eſſet illius dignitas & authoritas. Hæc ait omnia probari à Pontifice Romano, & recipi à Catholicis.

Iam verò Concilia generalia reprobata octo commemorat. *Primum* eſt Concilium Antiochenum, in quo Athanaſius doctiſſimus fidei Catholicæ propugnator damnatus eſt. *Secundum* eſt Mediolanenſe, in quo fides Catholica obliquè damnata eſt. *Tertium* eſt Ariminenſe, in quo nomen ὁμοούσιος ſublatum eſt. *Quartum* eſt Epheſinum ſecundum, in quo Eutychiana hæreſis confirmata eſt. Quod Conciliū appellatur λῃστρικόν, hoc eſt, Conciliū latronum, quia in illo Cōcilio per ſeditionē & vim geſta ſunt omnia. *Ibi*

bi Flavianus occisus est. Quintū est *Constātinopolitanum* contra imagines. *Sextum* est Constantinopolitanum aliud similiter contra imagines. *Septimum* est Pisanum, quod collectum fuit cōtra Iulium secundum. *Octavum* est VVittembergense Concilium, quod Lutherani (inquit) generale appellant, in quo pastores congregati sunt 300 præside Luthero. Quod si ita fuit, non video cur non possit illud Concilium cum multis generalibus Conciliis contendere. Hæc illa Concilia sunt, quę reprobata & damnata esse ait.

Iam postremò illa videamus, quæ partim approbata, partim reprobata sunt. Ea verò sex numerantur. Quorum *primum* est Sardicense, in quo alij Catholici fuerunt, alii Ariani. *Secundum* est Syrmiense Sardicēsi simile. *Tertium* est illud Constantinopolitanum, in quo canones Trullani sunt, quos Papa partim approbavit, partim reprobavit. *Quartum* est Francofurti habitum, in quo decretū est Christum non esse Dei filiū adoptivum, & hac quidem ex parte approbatur: reprobatum verò est, quòd in eo Nicæna synodus, quę imagines statuit & probavit, damnatur. Eiusmodi fuit Concilium Constantiense huius generis *quintum*, quod quatenus Concilium esse supra Papam decrevit, reprobatur, & Basiliense, quod *sexto* loco ab illo numeratur, cuius Concilii nihil ferè recipitur, nisi sanctiones quædam de beneficiis Ecclesiasticis. Hoc etiam Concilium decrevit, Concilium esse supra Papam.

pam. Sic ille quædam Concilia pia, quędam impia, quædam mista statuit.

Ex his igitur, quæ Concilia à Papistis recepta sunt, quæ reiecta, quæ partim recepta sunt, partim reiecta, intelligimus. Vnde hæc ego duo colligo, de quibus etiam postea erit dicendum. *Primum* est, Concilia generalia posse errare, & falsas opiniones amplecti, cuiusmodi nonnulla ab Adversariis nostris commemorantur, quibus illi tamen omnem authoritatem detrahunt. Nam Concilium Antiochenum veritatem damnavit, & hæresin apertam propugnavit: similiter Ariminense, & Ephesinum secundum. Ex quo patet veritatem non esse metiendam ex numero Episcoporum. *Secundum* est, Concilia generalia decrevisse quædam, quæ apertè pugnant cum Ecclesiæ Romanæ doctrina, cumq; sedis Apostolicæ authoritate. Ita decreverunt duo Concilia Constantinopolitana & Francofordiense cõtra imagines, & Constantiense ac Basiliense oportere Pontificem parere Concilio, & ab illo abdicari posse, atq; in ordinem cogi: ideoq; pars Concilii Constantiensis reiicitur, Basiliense totum. Hæc Concilia Papæ displicuerunt, ac proinde ab illo reiecta sunt. Tantum igitur Concilia valent, quantum Pontifici placent. De his Conciliis omnibus non attinet historiam contexere, aut contentionem aliquam de tempore vniuscuiusq; instituere. Nec certè de illis cõtētio aliqua est inter nos & Adversarios, præterquam de vno Concilio Niceno, quod illi sub

Sylvestro Papa habitum fuisse volunt, & ab illo indictum, sed falsissimè, cùm constet illũ vita defunctum fuisse ante initium huius Concilij. Nos verò sub Iulio habitum fuisse dicimus, qui paucos tantùm mẽses illam sedem tenuit proximè post Sylvestrum. Senex admodum ipse fuit, ac propterea non potuit ad Concilium venire, sed misit Vitum & Vincentium Presbyteros suos. Sic scribit Sozomen. lib. 1. cap. 17. Sic Athanasiùs, qui eidem Concilio interfuit, Apolog. 2. Sic Nicephorus. lib. 8. cap. 14. Sic Beda in Chronicis.

CAPVT 3.

In quo prima quæstio tractatur, An cogenda sint Concilia.

NVnc ad primam quæstionem accedo, quæ tamen controversiæ nihil habere videtur, de vtilitate, vel necessitate Conciliorum. Sed hac de re quædam dicenda sunt, vt quid de Concilijs statuendum sit, meliùs intelligamus. Quidam igitur solis Scripturis contẽti & verbi prædicatione, Concilia non requirunt, imò ab ijs abhorrent. Nazianzenus in Epistola ad Procopium (quæ est numero 42.) rogatus vt ad Concilium veniret, se excusat, aperteque ait se φεύγειν πάντα σύλλογον ἐπισκόπων, id est, *omnes Episcoporum conventus fugere*. Cuius rei rationẽ reddit, *quia nullius vnquam synodi bonum & fœlicem exitum vidisset*. Præterea attexit, non tam

λύσιν

λύσιν κακῶν quàm προσθήκην habuisse, hoc est, *malorum non tàm remedia quàm incrementa ex illis provenisse.* Et tamen ante illum habita nonnulla Concilia sunt, Nicenum nempe primum, & Constantinopolitanum primum: in quorum priori Christi, in altero Spiritus sancti divinitas vindicata, & contra blasphemos hæreticos defensa fuit. Mirum ergo videri potest, quòd Nazianzenus se alicuius Concilij bonum exitum vidisse neget. Nam in his duobus Conciliis vicit veritas, hæresis explosa est. Sed tamen certum est, post illam Synodum Nicęnam, auctam & corroboratam fuisse Arij hæresin, & magis Ecclesiam perturbavisse, quàm antea; quod quidem non Concilio tribuendum est, sed hominum φιλονεικίᾳ & φιλαρχίᾳ. Nam vt Legi Dei agnitæ vitiosa nostra natura vehementiùs repugnat, & præceps in peccata ruit: ita veritati tum explanatæ & palam defensæ falsitas sesé audaciùs opposuit, unde post Synodum illam, qua nulla melior fuit, ex hominum pravitate maiora incommoda nata sunt. De quibus Hilarius ad Constantiũ Cæsarem in hunc modum scribit. *Dum alter alteri anathema esse cœpit, propè iam nemo Christi est, Nil erat nisi pugna in verbis, quæstio de novitatibus, de authoritatibus querela, de studiis certamen, in consensu difficultas.* Cùm Nazianzenus tàm improba hominum ingenia cerneret, totus à Conciliis alienus fuit. Quanquam ille sine dubio non rem ipsam, sed potiùs prava hominum studia improbavit. Si quis

quis autem hoc modo ratiocinabitur, Exitus Conciliorum non est bonus, vel incrementa malorum ex Conciliis sequuntur: ergo Concilia sunt fugienda; is à non causa vt causa, & ab accidente, & à consequente fallaciter disputabit. Sed ignoscendum est Nazianzeno, quia pessimis & turbulentissimis Ecclesiæ temporibus vixit, in quibus propter aversam Valentis Imperatoris mentem à fide Catholica, hæretici plurimum valuerunt, & praviora hominum studia indies extiterunt. Synodos ergo omnes refugit, ne maiorum inde malorum occasio nasceretur. Tamen verissimum est, quod Augustinus in Epist. 118. ait, *Conciliorum in Ecclesia Dei saluberrimã authoritatẽ esse*, quod ille certè nõ dixisset, si cũ Naziãzeno sensisset. Christus ipse pronũciat & promittit Mat. 18. 20, *Vbi duo aut tres in nomine eius cõgregãtur, ibi se futurũ in medio eorum.* Quibus verbis significat piorum ac religiosorum conventus & Concilia, propter causas pias suscepta atq; instituta, sibi minimè displicere. Et de Conciliis quidem tum in vetere tum in novo Testamento legimus. Moyses sibi vidit necessarium esse Concilium seniorum, itaq; monitus à socero suo viros prudentes & Deum timentes è toto cætu Israelitarum elegit. Exod. 18. Sic David, Ezechias, Iosias, & alii pii Principes Israelitarum, nec sacras ceremonias instituerunt, nec religionem repurgârunt, absq; synodo Seniorum, Sacerdotum, Prophetarum, Levitarum. Et 1. Reg. 18. legimus de Concilio Carmelitico inter

ter Eliam & Pseudoprophetas Baaliticos. Ita 1. Reg. 22. habetur Concilium Galaaditicum de repetenda Ramaoth, cui multi Pseudoprophetæ interfuerunt, & vnus tantùm verus Dei Propheta Micheas. In novo verò Testamento Apostoli & tota Ecclesia comitia celebrârunt de eligendo Matthia in locum Iudæ Act. 1. de electione septem Diaconorum Act. 6. de circumcisione, Act. 15. Et verissimum illud est, quod Hieronymus ait in comment. in Tit. 1. *Antequam instinctu Diaboli studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego sum Cephæ, ego sum Christi: communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabâtur.* Cùm enim (vt Paulus ait Ephes. 4.) omnes nos corpus vnum simus, cumq; Ecclesia ex multis membris cõstet; nullũ membrum ociosum debet esse, aut sibi tantùm consulere, sed communem salutem & vtilitatem spectare. Et quemadmodum faces disiectæ (quæ est Chrysostomi similitudo) nihil aut parum caloris concipiunt, si verò in vnum conferantur, flammam excitabunt: sic homines pii congregati multum possunt, disgregati verò parùm efficiunt. Et quemadmodum in iis rebus, quæ viribus fiunt, & robore administrantur, vis unita fortior esse solet; sic in iis rebus quæ consilio geruntur, si coniunctis studiis omnia agantur, faciliùs transiguntur. Rectè Innocentius apud Gratianum distinct. 20. capite, De quibus, *Faciliùs invenitur, quod à pluribus senioribus* (i. sapientibus) *quæritur. Verus enim repromissor ait* Matth. 18. 20.

18.20. *Si duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum.* Quare cùm moleſtum eſſet Concilia generalia convocare; decretum olim eſt, vt in ſingulis provincijs bis quotannis aut ſemel ad minimum Cōcilia celebrarētur, vt habetur in Novell. Iuſtiniani Imperatoris conſtitut. 123. Ἵνα δὲ πᾶσα ἡ ἐκκλησιαστικὴ κατάστασις, καὶ οἱ θεῖοι κανόνες ἐπιμελῶς φυλάττοιντο, κελεύομεν ἕνα ἕκαστον μακαριώτατον Ἀρχιεπίσκοπον, καὶ πατριαρχὴν, καὶ μητροπολίτην, τοὺς ὁσιωτάτους ἐπισκόπους τοὺς ὑπ᾽ αὐτοὺς τελοῦντας κατὰ τὴν αὐτὴν ἐπαρχίαν ἅπαξ ἢ δὶς καθ᾽ ἕκαστον ἔτος πρὸς ἑαυτοὺς συγκαλεῖν.

Etſi ergo Concilia non ſunt ſimpliciter & abſolutè neceſſaria (nam ſine his fides & Eccleſia incolumis eſſe poteſt, & diu fuit) tamen multum conferunt, & valde vtilia ſunt, idq́; propter multas cauſas. *Prima* cauſa eſt, ſiqua difficilis quæſtio in fide orta fuerit, quæ multos exerceat, & de qua variæ hominum opiniones ſunt; veritas meliùs & certiùs invenitur, quando pii & docti viri vndiq; conveniunt & congregantur, eamq́; communi ſtudio quærunt. Nam non omnibus omnia Deus revelavit, ſed vni ſæpe id revelat, quod ab altero abſcondit. Si alteri patefactum fuerit aliquid, hic taceat. 1. Cor. 14. 30. Neq; enim omnia membra ſunt manus aut oculus, ſed alia ſunt in corpore membra. Hinc piorum Cōciliorum cauſa naſcitur. Ita factum legimus in Concilio Niceno. Intercedente enim Paphnutio, & matrimonium caſtum eſſe ex Scripturis probante, mutârunt continuò ſententiam Patres

illius Concilij. *Secunda* causa est, ut abusus in Ecclesia tollantur, & vitia removeantur. Cùm enim abusus in Ecclesia invaluerunt, communi authoritate & consensu tollendi sunt. Debet Ecclesia honestati & pietati consulere, & quæ cum honestate ac pietate pugnant, ea ab Ecclesia longissimè removere. Atque ita in omnibus ferè Concilijs de abusuum remediis legimus. *Tertia* causa est, ut εὐταξία, & ordo, & recta ac legitima disciplina tum constituatur, tum conservetur, & ut Canones condantur & confirmentur. Habuit enim Ecclesia semper authoritatem leges Ecclesiasticas condendi & sanciendi, easque aliis imperandi, & eos puniendi, qui non observarent. Et hæc authoritas semper habita est necessaria. Sed videndum tamen semper est, ne Ecclesia ritibus minùs necessariis urgeatur. Ita in Concilio Niceno factum legimus. Postquam enim Arium damnârunt Patres illius Concilij, tum Canones Ecclesiasticos condunt. Theodoret. lib. 1. cap. 8. περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς πολιτείας νόμους ἔγραψαν εἴκοσι. *Quarta* causa est, ut paci Ecclesiæ consulatur, & unitas conservetur. Sæpe enim inter Episcopos & Pastores nonnullæ dissensiones sunt, aut saltem non ea consensio, quam religio & charitas postulant. Hinc scandala & offensiones in Ecclesia nascuntur, quæ ut tollantur, Concilium cogi debet. Vt enim in Republica si civile bellum inter aliquos nascatur, nihil magis optandum est, quàm ut positis armis ad colloquium veniatur, & pacis conditiones statuantur:

tuantur: ita in Ecclesia, si dissensio aliqua fuerit inter Episcopos, nulla commodior ratio est ineundæ pacis, & concordiæ stabiliendæ, quàm ut Episcopi conveniant, & inter se depositâ omni hostili discordiâ pacatè & tranquillè conferant, ut ita lis tota componatur. *Quinta* causa est, ut ex ipso congressu & aspectu mutuo magna consolatio & fructus voluptatis à piis hominibus percipiatur. Ita legimus Constantinum nihil magis optâsse aut in votis habuisse, quàm ut eximios viros & sanctissimos Episcopos in Concilio congregatos oculis suis aspiceret. Sed maxima utilitas ad Episcopos ipsos redundat. Possunt enim illi de Ecclesiarum suarum statu mutuò inter se conferre, incrementa & progressus religionis cognoscere, & ad pietatem ac diligentiã in officio suo sese mutuis colloquiis hortari & excitare. Et hæc magna sanè ac iusta causa est. Concilium enim sanctorum doctorumq; hominum est non modò imago quædam cœlestis Ecclesiæ, sed & monumentum ac pignus divinæ de Ecclesia cõservanda promissionis. Nec vox illa omnino reprehendenda est, Concilium esse Ecclesiam repræsentativam, quæ non de Ecclesia tantùm in terris militante, sed de cœlesti etiam & triumphãte Ecclesia intelligi potest. *Sexta* causa est: Etsi nullum Concilium potest novum aliquod dogma condere, aut in Ecclesiam inducere: tamen multum confert ut docti & exercitati Theologi conveniant, & suum iudicium de rebus dubiis interponant. Multum e-

nim valet fidem in talium hominum Concilio confirmari, ut qui infirmi ſunt, aut putant Ecclesiam aliter ſentire, quàm ſentit, ij publica conſenſione corroborentur. Et ob eam cauſam Apoſtoli ac Presbyteri Hieroſolymis convenerunt, & Concilium celebrârunt. Act. 15. Non enim aut Petrus, aut Paulus, aut reliqui Apoſtoli, neſciebant abrogatam eſſe circumciſionem, & reliquas Legis Moſaicæ ceremonias tollendas eſſe, ſed rem in quæſtionem deducebant, ut Eccleſiæ & infirmis fratribus paſſim ſatisfieret. Quam etiam ob cauſam profectus eſt Hieroſolymam Paulus, ibiq; cum Petro ſermonem contulit, non quòd ipſe de vlla parte doctrinæ ſuæ dubitaret, aut ut ab illo authoritatem aliquam docendi acciperet, ſed vt omnes intelligerent, preclarè inter illos convenire, ſeque non aliter docere, quàm Petrus, & Iacobus, & reliqui Apoſtoli docuerunt, atque ita omnis ſcandali occaſio tolleretur. *Septima* cauſa eſt, ſi fortè Epiſcopus aliquis & legitimus Paſtor Eccleſiæ non poteſt locum ſuum tueri, nec Eccleſiam ſuam in pace conſervare, propter audaces aliquos & impudentes Adverſarios, qui Eccleſiam ſuis diſſidijs lacerant, & ſchiſmata in Eccleſiam inferunt; tum neceſſe eſt vt reliqui Epiſcopi vicini tanquam ad commune incendium extinguendum concurrant, audacibus hæreticis & ſchiſmaticis reſiſtant, & pio Epiſcopo laboranti ſuccurrant: vt ſi vnus paterfamilias non poſſit per ſe flammam in ædibus ſuis ortam reſtinguere-

re

re,alii qui ei vicini sunt,debent illi succurrere, & nisi sponte accurrant,cogēdi sunt à magistratu. Ita factum esse legimus, cùm Arius voluit præ suo pastore eminere,cæpitq; multitudinem ad se attrahere,& Ecclesiam discindere,& Alexandro Christi divinitatem defendenti reclamare, adeò vt pius ille Episcopus penè succumberet. Tum enim alii Episcopi convenerunt , vt illi quasi iunctis viribus opem ferrent. *Octava*, & ultima,eaq; præcipua causa est, vt quēadmodū in iudiciis politicis & forensibus malefici quæstione habita accusantur,& condemnantur : ita in Ecclesia hæretici publico iudicio damnētur, & anathematizentur, & veritas ab illorum calumniis vindicetur. Sed vt illic, non ex arbitrio iudicis, sed ex iure iudicium fieri debet: ita hîc non nisi ex publico & Imperiali iure, id est, ex Scriptura hæretici, fidei ac religionis hostes, damnandi sunt.Est enim Concilium quasi publicum Consistorium,aut Imperialis Camera,aut Parlamentum,in quo iudices auditâ vtrâq; parte ferunt sententias,& res longè gravissimas decernunt. Nam etsi possunt hæretici à singulis damnari: tamen quando ab vniversa quasi Ecclesia damnantur, solennior & gravior est sententia.Sic Arius damnatus est primò ab Alexandro & Concilio Alexandrino,sed postea maiore cum authoritate à synodo Nicęna est damnatus. Quando verò hæreticus aliquis in Concilio damnatur,non ipsius Concilii authoritate damnatur, sed authoritate Scripturæ,& Dei in

Scriptura loquentis, ministerio verò Concilii, sive Ecclesiæ in Concilio congregatæ. Vt enim in forensibus iudiciis non iudex sed lex damnat maleficum: iudex enim tantùm minister legis est: ita in Ecclesia non Concilium ipsum sua authoritate, sed Scriptura Concilii ministerio hæreticum damnat. Atque hæ gravissimæ & iustissimæ sunt habendorum Conciliorum causæ.

Bellarminus lib. 1. cap. 9. de Conciliis & Ecclesia sex causas commemorat, propter quas Concilia celebrari solent. *Prima* est nova hæresis. *Secunda* est schisma inter Pontifices Romanos. *Tertia* est resistentia communi hosti totius Ecclesiæ. *Quarta* est suspicio hæreseos in Romano Pontifice, vel tyrannis incorrigibilis. *Quinta* est dubitatio de electione Romani Pōtificis. *Sexta* est reformatio generalis abusuum & vitiorum, quæ in Ecclesiam irrepserunt. Prę-claræ certè causæ, quarum nulla vim habet, aut alicuius est momenti, præter primam & postremam. Ex his causis ait iudicari posse, num Conciliorum cōgregatio vtilis an necessaria sit. Explica ergo iudicium tuum Bellarmine: quid tandem statuis? Suntne Concilia necessaria, an non? De generalibus Concilijs statuit, esse vtilissima, & suo quodam modo necessaria. Sed num absolutè necessaria sunt? Imò ob nullam harum causarum (inquit) absolutè sunt necessaria. Sunt ergo necessaria, id est, magnopere utilia. Et nos quidem non putamus esse simpliciter necessa-

ria.

ria. Nam si simpliciter necessaria fuissent, Christus alicubi præcepisset celebrari, aut eius saltem Apostoli: quod tamen nusquam ab illis factum esse legimus. Præterea Ecclesia & fides incolumis permansit per trecentos annos sine Concilio generali. Nam ante Nicænam Synodum à tempore Apostolorum nullum Concilium fuisse ipsi fatentur, quæ trecentis post Christum annis habita fuit. Hoc enim inter Ecclesiam & Rempublicam interest, quòd Respublica humano consilio indigeat, nec sine huiusmodi consilio stare possit: at Ecclesia à Deo regitur & servatur, ut quanquam ad illius statum externum conferat Concilium, tamen vita & salus Ecclesiæ in Concilio non consistat. Sed Bellarminus causas suas percurrit sigillatim, & ostendit Concilia ob nullam harum causarum simpliciter necessaria esse. Primò enim quod attinet ad primam & secundam causam, hæreses plures sublatæ sunt, & plura etiam schismata sine Conciliis, quàm per Concilia. Quod ad tertiam causam spectat, nec ob illam ait Concilia necessariò requiri. Non enim absolutè necessarium est, ut cōmuni hosti resistatur, quia Ecclesiam ait conservari posse etiam sub persequutionibus Tyrannorum. Deinde aliter etiam communi hosti resisti posse affirmat, quàm per Concilia, bello scilicet, quod sine Concilio indici potest. Quod ad quartam causam attinet, ait propter suspicionem hæreseos in Papa nunquā aliquod hactenus habitum esse Concilium generale.

nerale. Cur igitur hanc in causis numerat, si nũquam ob eam Concilium aliquod habitum est? Accidere autem potest, vt non modo sit suspicio hæreseos in Papa, verumetiam certum crimen, vtq; sit ipse non modò Tyrannus, verumetiam lupus; ergo quid tandē fiet, si meritò fuerit de hæresi suspectus? Dum est verè Pontifex (inquit Bellarminus,) qualis certè esse potest etiam in suspicione hæreseos, non potest iudicari ab ullo Concilio, nisi fortè tribuat ipse Concilio potestatem examinandi causam suam. Præclara omnino ratio. Ita huc tandem recidit ratio Bellarmini, Concilium nihil præstare posse, nisi Pontifex voluerit. Potest ergo Concilium generale congregari, & iudicare de Papa, cùm de heresi suspectus fuerit, si modò ipse voluerit. Sed quid si noluerit? Tum certè ratio Bellarmini periit. Iam verò quod ad quintam causam attinet de electione Pontificis, si de illa dubitetur (inquit) vt si Cardinales nollent, aut non possent eligere, tum ait vtile esse Concilium. Quid? an non tum necessarium? Nequaquam, inquit: posset enim eligi sine Concilio. A quo tandem? Hoc ille non docet, sed tamen ait, quod est notandum, non magis dubium esse, à quibus eligendus sit Episcopus Romanus, remotis Pontificum constitutionibus, quàm à quibus eligendi sint Episcopi aliarum civitatum. Sed qui illi sint, à quibus eligendus est, non exponit. Forsan aut Presbyteros, aut populum intelligit. Sed incogitantiam Bellarmini considerate. Primò ait
esse

esse sex præcipuas causas, cur Concilia celebrari soleant, & celebrentur. Deinde hanc ponit quintam, quam ait nec evenisse vnquam, nec eventuram esse. Quod ad reformationem abusuum & vitiorum attinet, quæ est sexta causa, ait vitia & abusus emendari posse per Papam & particularia Concilia. Sic concludit Concilia non esse ob vllam causam simpliciter necessaria. Sed magnopere sui oblitus est. Nam quid si Papa non modò suspectus sit de hæresi, sed etiam certus hæreticus sit? quid si homo audax & tyrannus sit? & habeat exercitum? nec cedere velit, sed locum suum tueatur? & omnes qui ei contradicunt damnet? & si ei Imperator faveret? quomodo removendus esset? vt si Papa esset Lutheranus, & ei faveret Rex Galliæ, & Hispanię, & Principes etiam Germanię, nónne tum Conciliũ generale absolutè necessariũ esset? Ostendat aliud mediũ, quo posset removeri, & dabo non esse; sed nullum potest. Verùm hoc nos concedimus, non esse Concilia simpliciter necessaria. De Papa suo ipsi viderint, quomodo illum sine Concilio removere possunt, si fuerit hæreticus. Generalia igitur Concilia non esse necessaria hìc statuit Bellarminus. Et tamen cap. 11. ait aliqua Concilia esse omnino ad bonam Ecclesiæ gubernationem necessaria: quia etsi posset Deus Ecclesiam per absolutam potentiam conservare sine Concilijs, tamen secundùm ordinariã providentiam necessaria sunt ad bonam Eccle-

siæ

ſiæ gubernationem. Quod certè illius iudicium nos non improbamus. Nametſi generalia Concilia non ſemper haberi poſſunt, vt cùm Eccleſia eſt in perſecutione, ſævientibus contra illam tyrannis; tamen tum etiam aliqua & poſſunt & debent haberi Concilia. Sic primis trecentis annis poſt Chriſtum varia Concilia habita ſunt, vt contra Paulum Samoſatenum Cyprianus Concilium cum ſuis Epiſcopis habuit. Et hoc probatur *primò* ex Chriſti dicto ſive promiſſo, quod habetur, Matth. 18. 20. *Vbi duo aut tres cõgregati fuerint in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum*: quem locum de Concilijs intelligi concedunt etiam Adverſarij. *Secundò* ex Apoſtolorum facto. *Tertiò* ex Eccleſiæ conſuetudine. Cyprianus lib. 2. Epiſt. 1. ſic ſcribit. *Neceſſe habuimus convenientibus in vnum pluribus ſacerdotibus cogere & celebrare Concilium.* Atque ita nos iſtam non controverſiam, aut contentionẽ, ſed orationem, ſeu diſputationem, de Conciliorum vtilitate, & neceſſitate, terminavimus.

Quæſtionis primæ finis.

SECVN-

Secunda quæstio,

A quo & cuius authoritate cogenda sunt Concilia.

CAPVT I.

De statu quæstionis.



POstquam de Conciliorum necessitate seu potius vtilitate & nostram & Adversariorū sentētiam proposuimus: proximo loco dicendum & explicandum est, cuius sit Concilia cogere seu congregare, & quis hanc authoritatem habeat cogendi Cōcilia. Quo quidem in loco non de particularibus Concilijs, hoc est, de Nationalibus & Provincialibus, sed de Concilijs generalibus loquimur. Nam stata illa Provincialia Concilia potuerunt Archiepiscopi & Metropolitæ atque etiam legibus Imperatorijs & Canonicis iussi sunt bis in anno convocare & celebrare: nempe paulò ante Quadragesimam, & in fine Autumni, vt docent Canones Synodi Nicenæ. A Pontifice Romano, non ab Imperatore congregari debere volunt Adversarij. Sic Bellarminus in cap. 12. huius libri. Sic Cardillus in defensione Concilij Tridentini disputatione I. cuius hæc verba sunt. *Vis & facultas indicendi, cogendi, & celebrandi Oecumenicam Synodum, non ad Imperatorem,*

torem, ſed ad Pontificem Maximum pertinet. Sic Hardingus in confutatione Apologiæ Anglicanæ parte 5.cap.6.ſect.3. Et hæc eſt omnium hodie Papiſtarum ſententia. Pendet verò ex illa opinione, Papam eſſe caput Eccleſiæ. Nos cōtrà non à Papa ſed ab Imperatore & reliquis Chriſtianis Principibus Concilia cogi oportere volumus, & hanc authoritatem illis tribuendam eſſe: & ſic omnia antiqua generalia Concilia non à Papa ſed ab Imperatore coacta fuiſſe dicimus. Pontificem verò Romanum extra ſuam Provinciam, nullum ius, nullam authoritatem Concilia cogendi aut indicendi habere contendimus. Hac de quæſtione primò Adverſariorum argumenta diluemus, tum noſtra proponemus, quemadmodum in alijs quæſtionibus facere ſolemus.

CAPVT 2.

In quo Adverſariorum argumenta diluuntur.

BEllarminus ſeptem argumenta affert, quæ nos nunc ſigillatim examinabimus. Sunt illa quidem leviora, ſed vera fide proponam ſingula, & vobis iudicanda relinquam.

Primum argumentum ex divinis literis ſumitur, eſtque huiuſmodi. Eccleſiæ nullum legitimum Concilium eſt, niſi in Chriſti nomine cōgregatum, quod nos concedimus. Hoc ille probat ex Matth. 18. *Vbi duo aut tres congregati fuerint*

rint in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum. At in nomine Christi congregari (inquit) nihil aliud videtur quàm authoritate Christi congregari. Hoc probat, quia in Scripturis illud, *In nomine Christi*, vbiq; ferè accipitur pro eo quod est, ex authoritate Christi. Sic Marc. 16. 17. *In nomine meo* (inquit Christus de credentibus) *eijcient Dæmonia*, id est, authoritate mea. Sic Iohan. 5. 43. *Ego veni in nomine Patris mei*, id est, authoritate Patris mei. Sic Matth. 7. 22. *Nonne in nomine tuo prophetavimus? &c*, id est authoritate tua. Sic Act. 4. 7. *In qua virtute, aut in quo nomine hoc fecistis?* id est, cuius authoritate. Iam verò authoritate Christi congregari (inquit) est ab eo congregari, cui Christus hanc authoritatem dedit, & has partes commisit, hoc est, à Petro, & eius successoribus: ergo nullum est legitimum Concilium, quod non à Petro aut eius successoribus congregatur. Videtis quas Scripturas afferat, & quæ sit species argumenti. In nomine Christi congregari, nihil aliud esse videtur, quàm authoritate Christi congregari. Sic enim illud, *In nomine Christi*, vbique ferè accipitur in Scripturis. Sed Pontifex Romanus habet authoritatem à Christo congregandi: ergo illius tantùm est congregare. *Respondeo* 1. Fateor illud, *In nomine Christi*, idem interdum significare, quod, authoritate & potestate Christi, sed non semper, & vbique. Nam in nomine Christi baptizari (quod sæpe in Scripturis habetur) non est authoritate Christi baptizari,

zari, ſed baptizari in fidem & profeſſionem Chriſti, ſic vt Chriſtum induamus, & illi nomina noſtra demus. Sic Epheſ. 5. 20. *Gratias agentes ſemper pro omnibus Deo Patri, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti*, hoc eſt, non authoritate Ieſu Chriſti, ſed per interceſſionem Ieſu Chriſti, agnoſcentes Deum nobis in Chriſto propitium eſſe. Ita Iohan. 14. 14. in nomine Chriſti petere, non eſt, authoritate Chriſti petere, ſed per Chriſtum, vel propter Chriſti gratiam, qua ille apud Patrem plurimum valet. In Chriſti verò nomine congregari hoc in loco nihil aliud ſignificat, quàm propter Chriſtum, aut Chriſti ſpiritu, aut auſpicijs Chriſti congregari, vt Chriſto inſerviamus, vt eius nomen celebremus, vt ille nobis præſideat, noſque gubernet, denique vt omnia quæ agimus, ad illius gloriam referãtur. Hoc patet ex præcedenti verſu, vbi Chriſtus ait, *Si duo ex vobis conſenſerint in terra de re aliqua*, id eſt, coniunctis votis aliquid petierint, quod ad Dei gloriam faciat, *quicquid petierint, dabitur illis à Patre meo, qui eſt in cœlis.* Tũ ſubiungit. *Vbi enim duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum.* Ex quo conſtat, in nomine Chriſti congregari, nihil aliud eſſe, quàm ob piam & iuſtam cauſam convenire, Chriſti voluntatem in conventibus noſtris nobis proponere, nihil denique aliud ſpectare, niſi Dei gloriam, & Eccleſiæ commodũ, vt in nomine meo hoc in loco idem ſit quod Matth. 19. 29. ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός μου, id eſt, propter

ter Christum, & eius professionem. Etsi fateor non posse aliquos sic congregari, nisi qui authoritate Christi congregantur. Nam sic nos congregari Christus iussit. Tamen idem non est, Christi authoritate, & Christi nomine congregari. Cyprianus in libro de unitate Ecclesiæ sic hunc locum interpretatur, ut nos. *Quomodo possunt* (inquit) *duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat à Christo & ab eius Evangelio separari?* Et postea in eodem libro ait eos colligi in nomine Christi, *qui sunt simplices, pacati, Deum timentes, & Dei præcepta servantes.* Hieronymus in Matth. 18. nos his verbis ad concordiam provocari ait, proposito tam magno præmio. Origenes in hunc locum, illos ait in Christi nomine congregari, *qui animorum & fidei vnitate consentiunt.* Chrysostomus verò in hæc verba ait in nomine Christi cōgregari eos, *qui propter Christi gloriam & honorem, tum etiam propter proximi in Christo amorem congregantur.* Et Orantius Papista in lib. 2. contra Calvini institution. cap. 17. *Nihil est aliud* (inquit) *in Christi nomine congregari, quàm vna fide, vno redemptore, vnoq́; consensu, quæ ad æternam vitam pertinent, mutuò conferre.* Sic Iansenius in hunc locum. *Congregari in nomine Christi, est propter Christum, & aliquam causam ad Christum pertinentem congregari.* Sic Arias Montanus in hunc locum. *Congregari in nomine Christi, est in eius spiritu & virtute convenire.* Ergo ij in nomine Christi congregantur, qui conveniunt Christi auspiciis, sic ut eis Christus

ſtus præſit ac præſideat, eiuſque Spiritu gubernentur: ij ſive plures, ſive pauciores fuerint, exaudiuntur. At Adverſarius ait congregari in nomine Chriſti nihil aliud eſſe, quàm congregari ab eo, qui hanc authoritatem à Chriſto habet. Ita ſecundùm illius ſententiam nulli in nomine Chriſti congregantur, niſi qui authoritate Romani Pontificis congregantur. At Chriſtus ait, *Vbicunq, duo aut tres congregantur in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum.* Poſſunt verò duo aut tres congregari, neſciente Pontifice Romano. *Secundò reſpondeo:* ut demus Adverſario, veram eſſe hanc eius interpretationem, in nomine Chriſti congregari, hoc eſt, authoritate Chriſti congregari, quomodo hoc ad Papam pertinet? Quia authoritate Chriſti congregari (inquit) nihil aliud eſt, quàm ab eo congregari, qui habet à Chriſto authoritatem congregandi. Eſto. Sed quis ille tandem eſt, qui hanc authoritatem habet? Petrus (inquit) & Petri ſucceſſores. Quomodo hoc probat? Tripliciter ſcilicet. *Primò,* Chriſtus aſcendens (inquit) non commiſit Eccleſiam ſuam gubernandam, ac proinde nec congregandam Tyberio, ſed Petro, cui dixit, *Paſce oves meas:* ergo qui ab eo congregantur, qui Petro ſuccedit, non qui Tyberio, ij in nomine Chriſti congregantur. *Reſpondeo 1.* De Eccleſia congreganda præcepit quidem aliquid Chriſtus, ſed de tota Eccleſia congreganda nullum omnino præceptum reliquit. Poteſt Eccleſia congregari, etſi non tota. Congregatio Eccleſiæ

clesiæ est necessaria, sed non totius Ecclesiæ in Concilio generali. 2. *Respondeo:* Quòd Christus ait Petro, *Pasce oves meas*, illud ad hanc causam non pertinet. Non enim iussit omnes oves suas pascere, quia omnes pascere non potuit. Nec iussus est Petrus his verbis congregare & celebrare Concilia generalia, non magis quàm reliqui Apostoli, cùm iussi sunt μαθητεύειν καὶ διδάσκειν πάντα τὰ ἔθνη, Matth. 28. 19. & 20. 3. *Respondeo*, aliam esse rationem temporum illorum, cùm Imperatores Tyberio similes fuerunt, & temporum subsequentium, cùm nomina Christo dederunt Imperatores, vt Constantinus, Valentinianus, & alii. Nam Tyberius, & qui illi similes erant, aperti Ecclesiæ hostes fuerunt; atq; ita Ecclesias non congregare, sed dissipare voluerunt. At pii Imperatores Ecclesias fovere, conservare, ornare volunt. 4. *Respondeo*, succedi Tyberio dupliciter, vel perfidiâ scilicet, vel dominatione. Qui perfidiâ ei succedunt, iis hæc authoritas non est committenda. Qui dominatione succedunt, non perfidiâ, ij multò maiorem in Ecclesia Christi authoritatem habere possunt, quàm Tyberius habuit, vt Constantinus, & alii pii Imperatores. SECVNDO probat Petrum & eius successores hanc authoritatem habere, quia Petrus, & qui Petro succedit, est Pastor omnium ovium Christi, ergo & Regum. Nam omnes comprehendit, qui nihil excipit. Idq; probat authoritate Leonis in sermone. 3.

anniverſario ſuæ aſſumptionis. *Reſpondeo:* Petrus quidem, ut Apoſtolus, fuit generalis paſtor, id eſt, non vni gregi alligatus, ſed paſtor totius Eccleſiæ, quia non certis gregibus deſtinati erant Apoſtoli, ſed in univerſum mundum miſſi ſunt. Sed non fuit paſtor omnium, ut proprius Epiſcopus, non magis quàm Iohannes, aut quiuis alius Apoſtolus. Nam ſi, quia Chriſtus ei dixit, *paſce oves meas*, ſine exceptione, ergo omnes paſcebat; tum & omnes Apoſtoli erant omnium ovium paſtores. Nam Chriſtus omnibus dixit, *Ite, docete omnes gentes*. Non ſic Petro ait, *paſce omnes oves meas*, ſed *paſce oves tantùm*. Leonis verò authoritas in cauſa ſua nihili æſtimanda eſt. Fuit ille quidem pius & doctus Epiſcopus, ſed fuit tamen magis ambitioſus, quàm Chriſti miniſtrum decuit. Totus in ſede & cathedra ſua extollenda fuit. *TERTIO*, ſic probat. Ovis (inquit) non eſt congregare oves, ſed paſtoris: Imperator verò eſt ovis: ergo non eſt eius congregare Concilia. *Reſpondeo:* Imperator & paſtor eſt, & ovis, diverſo reſpectu. Ovis, in eo quòd paſcendus eſt ab alio, verbo vitæ ſalutari. Paſtor, quòd populum regit in rebus politicis. *Primo* modo non paſtor ſed ovis eſt, & eius eſt ſe ut ovem gerere: ergo non debet in hoc præſcribere aliquid, ſed ſe paſcendum Chriſti miniſtro ſubjicere. *Secundo* modo eſt paſtor ipſe, quemadmodum Reges ſæpe & in Scripturis, & apud profanos authores ποιμένες appel-

appellantur, sed non talis pastor, qualis Episcopus est. Atque hoc modo ad illius munus pertinet, ut Episcopos sparsos in unum colligat. Hoc enim est politicum. Nam etsi res ipsæ, de quibus in Concilio deliberatur & consultatur, sint sacræ & religiosæ: tamen hoc ipsum, congregare Episcopos, est merè πολιτικὸν. Nam in Episcoporum ipsa congregatione non magis sacrum aliquid est, quàm in congregatione aliorum hominum. Vt enim Principis est edictis suis duces convocare & milites suos, ut de bello deliberent, & iurisperitos suos, ut de iure inquirant: sic eiusdem etiam est, Episcopos suos congregare, ut de religione consultent, & Episcopi cùm literas & mandata à Principe hac de re acceperunt, debent hac authoritate coacti convenire. Hoc ergo æquè politicum est, atque alios hominum ordines cogere. Materia quidem, de qua isti, cùm convenerint, consultare solent, varia est; sed illud ipsum, congregare, est unius eiusdemque authoritatis. Imperator enim est dominus omnium subditorum suorum. In subditis verò eius ponendi sunt omnes homines, cuiuscunque ordinis fuerint, qui in illius ditione sunt, Episcopi etiam, & Archiepiscopi. Potest ergo præcipere, ut Episcopi, qui nunc segregati sunt, conveniant in unum locum, propter causas, quas ipse cum aliis necessarias esse duxerit. Et in hac actione non iam ovis, sed pastor est. Atque hæc de primo argumento dixisse sufficiat.

Secundum Bellarmini argumentum eſt huiuſmodi. Eius eſt Concilia generalia congregare, qui poteſt omnes cogere: at Imperator non poteſt omnes cogere: nullus enim Imperator (inquit) unquam habuit totam Eccleſiam ita ſibi ſubiectam, quoad civiles actiones, quemadmodum eam habet Pontifex quoad actiones ſpirituales: ſed hoc prorſus falſum eſt, ut poſtea patebit. Probatur tamen Leonis & Proſperi authoritate. Leo in ſermone primo de Petro & Paulo ſic ſcribit de Roma. *Per ſacram Beati Petri ſedem caput orbis effecta latiùs præſidens religione divina, quàm dominatione terrena.* Et Proſper in ſermone de Ingratis ſic ſcribit.

Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non poſſidet armis,
Relligione tenet.

Et nūc Imperator (inquit) vix poteſt vnius provinciæ Epiſcopos cogere. Præterea quid ſi nullus eſſet Imperator? imò nullus Princeps Chriſtianus? num ideo nulla Concilia cogi aut celebrari poſſent? *Reſpondeo* ad hæc ſigillatim. *Primò*, quod de authoritate cogendi omnes ſcribit, illud merè & verè Antichriſtianum eſt. Quid enim aliud eſt, ſedere in Eccleſia Dei, ut Deus, & eſſe ſupra omnes, qui vocantur Dij? Papa nullam ex iure divino authoritatem habet cogendi. Quicquid aut is aut ullus olim Epiſcopus coactivum habuit, id totum ab Imperatore non à Chriſto habuit. *Secundò,* quòd ait nullum vnquam

vnquam Imperatorem sic habuisse Ecclesiam subiectam quoad civiles actiones, ut eam Papa habet, quoad spirituales, falsissimum planè & absurdissimum est. Nam Imperatorem maximam olim authoritatem habuisse manifestum est. Constantino & reliquis post illum Imperatoribus totus ferè orbis Christianus paruit, nisi forsan remotas quasdam partes orbis in Persia & alibi excipiamus; cùm Papa nullam omnino in ullis causis authoritatem haberet. *Tertiò*, quod ad Leonē & Prosperum attinet, de Leone primò non laboro. Magnus ille fuit Antichristiani regni architectus, etsi aliàs tantum ei tribuo, quantum Adversarij vendicare possunt. Prosper verò ait *primò*, Romam esse sedem Petri, quod ille ex communi illius temporis opinione dixit. *Secundò* ait, factam esse caput honoris pastoralis, id est, illam fuisse primam sedem Episcopalem, quod non negatur. *Tertiò* ait, religione tenere quod armis non possidet, quod non est ita intelligendum, quasi Episcopus Romanus ampliorem haberet dominationem, quàm Imperator, & ijs præesset, quibus Imperator non dominaretur (esset enim hæc absurdissima sententia) sed quòd fides Romanæ Ecclesiæ latiùs pateret, quàm imperium Romanum. At nūc Roma sedes Petri non est. Sed quid poetæ versus moramur? Tribuat ille Papę, quãtum velit, nos ei id tantùm tribuemus, quod Scriptura & veteres Canones tribuunt. Fatemur Episcopum Romanum olim habitum esse primum omni-

um Episcoporum,non authoritate,aut potesta-te,vt cogeret,sed ordine,& prærogativa, qua de re alibi dabitur aptior dicendi locus. *Quartò*, quòd ait Imperatorem nunc vix vnius provinciȩ Episcopos cogere posse:fatemur Imperatoris hodie nō adȩo latum imperiũ esse,ob eamq; causam non Imperatori soli hanc authoritatem tribuimus,sed Principibus etiã Christianis,quorum nonnulli hoc tempore ampliorem dominationem habent,quàm Imperator. Vnus aliquis posset efficere, vt reliqui suos Episcopos mitterēt. Nō enim nunc vnus est orbis Christiani Imperator, vt olim. Tamen hoc nō impedit, quin posset Imperator Cōcilium generale cōgregare,etsi nō tam facilè,vt olim. *Quintò*,quòd supponit nullum esse Christianum Imperatorem aut Principem, & quærit, quid tum tandem fieret? possem ego vicissim ab illo quærere, quid si nullus esset Papa? Sed *respondeo primò*. Cùm nullus est Imperator aut Princeps Christianus, nullum potest indici aut celebrari Concilium generale. Ostendat ille aliquod Concilium, si potest, antequam Imperatores Christiani facti sunt. Primum Concilium vel ipsorum confessione fuit Nicȩnum primum, quod habitum est, postquam Constantinus ad fidem est conversus. *Secundò*, fallaciter ille nobiscum agit. Nam quòd ait, num ideo Concilia fieri non possent?non id agitur.Sed quæstio est de Conciliis generalibus. Et generalia quidem Concilia nego tum posse congregari, quod ex-

perientia

perientia docet. Privata autem & particularia Concilia haberi possent, etiamsi omnes Principes à fide Christiana abhorrerent. Sic enim olim sub decem illis immanissimis Ecclesiæ primitivæ persequutionibus Concilia habebantur. *Sextò*, si eius sit indicere Concilia, qui possit cogere, tùm multò magis Imperatoris hoc est, & Principum Christianorũ, quàm Pontificis cuiusquam. Nam illi possunt omnes suos subditos ad parendum pœnis coercere, vt coeant in vnũ, & de rebus ad Ecclesiam & religionem pertinẽtibus consultent. Episcopus verò potest suadere, & hortari tantùm, cogendi nullam nisi ab Imperatore acceptam potestatem habet. Et de secundo argumento hactenus.

Tertium Adversarij argumentum in hunc modum se habet. Quemadmodum provincialia Concilia solebant & debebant à Metropolita congregari, nationalia verò à Patriarcha: sic generalia Concilia à summo Pontifice cogi debent. Hoc argumẽtum sequeretur (inquit) etiamsi Papa non esset verus Princeps & Monarcha Ecclesiasticus, sed tantùm primæ sedis Episcopus, seu primus inter Patriarchas: at nunc multò magis valet, cùm sit totius Christiani orbis Princeps Ecclesiasticus. *Respondeo primò*: Quòd de Principatu Ecclesiastico somniat, & *P*apam esse *P*rincipem aut Monarcham Ecclesiasticum affirmat; hoc totum Antichristianum est, & ex Antichristi officina prodijt, qui vult in templo Dei sedere, vt Deus,

& totam Ecclesiam sibi subijcere. Dictus quidem est olim Patriarcha primæ sedis, sed nunquam Princeps, aut Monarcha. Quare hoc eò relegandum est, vnde primò est expromptum, hoc est, ad inferos. *Secundò*, argumentum non sequitur à Provincialibus aut Nationalibus Concilijs, ad Concilium generale. Non enim eadem est horum ratio. Nam *primò* illa erant ordinaria & stata, ex legibus Ecclesiasticis, quas Imperatores sanxerunt: Generalia verò Concilia sunt extraordinaria, cùm causa aliqua extraordinaria magni momenti contingit, quæ totam Christianitatem attingit. Et quia hoc est opus admodum magnum, & ad totius orbis Christiani statum pertinet, idcirco Cæsaris & Principum Christianorum authoritatem intercedere oportet. *Secundò*, si singuli Patriarchæ suos Episcopos congregârunt; quomodo hinc sequitur Pontificem Romanum omnes Patriarchas congregare posse? Nam Papa fuit vnus è Patriarchis. Potuit ille suæ provinciæ Episcopos ad Concilium cogere, sed reliquos Patriarchas non potuit, quia omnes æqualem authoritatem habebant, nisi quòd cùm convenirent in Concilio generali indicto ab Imperatore, tunc Episcopus Romanus primo loco sederet. Quam ille authoritatem habuit, eam non in Patriarchas, sed in suos Episcopos habuit. Non magis ergo sequitur: Provincialia Concilia à Metropolita congregata sunt, ergo gene-

generalia Concilia à Pontifice Romano congregari debent: quàm, ergo ab Episcopo Alexandrino aut Constantinopolitano debent congregari. Nam quod ad hoc attinet, per omnia pares fuerunt Patriarchæ. *Tertiò*, illi Metropolitæ aut primates nullam authoritatem habuerunt cogendi Concilia. Illorũ enim fuit indicere tantùm locũ, & tẽpus designare, moderari etiã & præire reliquis in ipso Concilio. Sed si aliqui immorigeri essent, & cõvenire recusarent, nihil illi sua singulari authoritate facere potuerunt, sine aliorum Episcoporũ consensu, aut sine Imperatoris authoritate, cuius erat Metropolitas facere. Nam facti sunt Metropolitæ & Patriarchæ ab ipso Imperatore. Sic Concilij Chalcedonensis Patres cap. 12. fatentur. Verba sunt huiusmodi, ὅσαι ἤδη πόλεις διὰ γραμμάτων βασιλικῶν τῷ τῆς μητροπόλεως ἐτιμήθησαν ὀνόματι. Et Chrysostomus in homil. 17. ad populum Antiochenum, ait Antiochiæ ademptum fuisse nomen Metropolis à Theodosio, quòd statuam Imperatoris evertissent. Rationes verò, quas secuti sunt Imperatores in constituendis vrbibus Metropolitanis, hæ fuerunt, vel quòd inde Evangelium propagatum fuit in alias vrbes, vt ab Hierosolymis, Antiochia, Alexandria, Roma, Cæsaræa; vel propter magnitudinẽ & amplitudinem istarũ vrbiũ, vel quòd in istis vrbibus suas sedes Proconsules sive Imperatores haberent. Sic in Concilio Cõstantinopolitano primo cap. 3. Cõstantinopolis nova

nova Roma veteri æquata fuit, quòd ſedes Imperatoris ibi eſſet. Verba Concilij ſunt, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν ῥώμην. In Chalcedonenſi verò Concilio cap. 28. διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, & quia ἐπειδὴ βασιλείᾳ καὶ συγκλήτῳ. Imperatores ergo Metropolitanas vrbes deſignârunt. *Quartò*, illi Patriarchæ non iure divino, ſed humano facti ſunt, ſanctionibus ſcilicet Imperatorum & Conciliorum. Nam divino iure nulli erant Patriarchæ: ergo divino iure Papa non poteſt eſſe primus Patriarcha. Nam eodem iure fuit Epiſcopus Romanus primus Patriarcha, quo Alexandrinus fuit ſecundus primò, poſtea tertius, Antiochenus quartus. Sic ille tandem ſuam Monarchiam ſtabilivit, quam ille tamen vult divino iure fundatam eſſe. Sed hoc ſatis arguit illum tunc non fuiſſe habitum pro Principe aut Monarcha, quòd vnus ex Patriarchis fuit. Nam alioqui non ille cum reliquis Patriarcha diceretur, ſed illi Patriarchæ, hic Princeps, vt nullus dux dicitur Rex, aut Imperator. Ita quemadmodum Metropolitæ aut Patriarchæ nullam niſi aliunde acceptam poteſtatem habuerunt: ſic Pontifex Romanus fateatur ſe non iure divino reliquis prælatum eſſe.

Quartum Bellarmini argumentum pendet ex authoritate Canonis cuiuſdam antiquiſſimi, quo ſtatuitur, præter ſententiam Romani Pontificis non poſſe Concilia congregari. Meminit huius Canonis Marcellus Papa in Epiſtola ad

ad Episcopos Antiochenos. Hunc renovavit Nicęnum primum Cōcilium, vt & synodus Alexandrina in Epistola ad Fœlicem. Iulius etiam eiusdem meminit in Epistola ad Orientales Episcopos apud Socratē lib. 2. cap. 13. & magnam ei authoritatem tribuit. Sic Sozomen. lib. 3. cap. 9. & Nicephorus lib. 9. cap. 5. Ex quibus omnibus sic concludit Bellarminus. Si sine Pontificis Romani consensu non licet Concilia celebrare, sequitur eius esse potissimum illa convocare: sed primum verum: ergo & secundum. *Respondeo*: 1. Etsi omnia in antecedente posita vera esse concedantur; argumentum tamen non sequitur. Nam etsi demus non sine Romani Episcopi consensu Concilia celebrari posse: non tamen hinc sequitur eius esse Concilia convocare. Interesse quidem ille debuit vt vnus ex præcipuis Christiani orbis Episcopis, & Concilii canones approbare. Itaq; statuit ille Canon, vt ipse semper interesset. At sic alii etiam Episcopi interesse astringuntur. Multorum in Conciliis præsentia requiritur, quorum non est Concilia convocare. Ita hunc Canonem nos possumus concedere. Sic in Republica Romana senatus à tribunis plebis sæpe convocari solebat, à consulibus sæpè, at sine consulibus & tribunis simul, atq; adeo sine ipso etiam populo, nihil in senatu agi potuit. Sic in nostra hac Academica Republica non possunt solennes nostri cætus sine Procuratoribus & scrutatoribus celebrari: horum tamen

tamen non eſt noſtros cætus convocare. *2. Reſpondeo:* Etſi talis fuiſſet aliquis Canon, tamen Eccleſiaſticus tantùm fuiſſet, & ſic humano tantùm iure Papa hanc authoritatem haberet. Verùm hac ille authoritate contentus non erit. Quòd verò Marcellus hunc canonem vocat Apoſtolicum, hoc nihil ad rem facit. Eſt enim illa Epiſtola ſpuria & ſuppoſititia, ſicut & reliquæ decretales veterum Pontificum Epiſtolæ. Talis fuit illa quoque Epiſtola Synodi Alexandrinæ, commentitia ſcilicet & mendaciorum plena. 3. Quod de Iulio objicit, fatemur illum quidem ſibi talem authoritatem vendicâſſe, & hoc nobis ſemper objiciunt Adverſarij. Sed legite quæſo verba apud Socratem lib. 2. cap. 8. Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ Ἰούλιος παρῆν, ὁ τῆς μεγίστης ῥώμης ἐπίσκοπος, οὐδὲ μὴν εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ ἀπεστάλκει τινὰ, καίτοι κανόνος ἐκκλησιαστικοῦ κελεύοντος μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην τοῦ ἐπισκόπου ῥώμης, τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν. Loquitur de Concilio Epiſcoporum nonaginta novem Antiochiæ congregatorum, vbi Athanaſius damnatus fuit. Huic Concilio ait nec Iulium ipſum interfuiſſe, nec quenquam eius loco, cùm tamen κανὼν Eccleſiaſticus ſtatuat, non licere παρὰ τὴν γνώμην τοῦ ἐπισκόπου ῥώμης ἐκκλησίας κανονίζειν, id eſt, canones condere Eccleſiaſticos, quibus Eccleſiæ paſſim omnes alligentur. Nos hunc Canonem agnoſcimus, & probamus, ut æquiſſimum. Nam ratio ipſa docet & dictat, quod omnes attingit, ab omnibus approbari debere. Qui ergo

canones

canones futuri erant generales, eos ęquũ fuit ab Episcopo etiã Romano approbari, qui vnus ex præcipuis Episcopis fuit. Sed ἐκκλησίας κανονίζειν, non est, vt Cassiodorus malè transtulit, cuius hi translatione abutuntur, Concilia celebrare, neq; etiam, ut Illyricus non benè interpretatur, Ecclesias consecrare, sed leges Ecclesiasticas sancire, & canones Ecclesiis præscribere. Sed demus hoc Adversario, ἐκκλησίας κανονίζειν, idem hîc valere, quod Concilia celebrare. Quid si Concilia non sint sine consensu Romani Pontificis celebranda? quis unquam hinc colligeret, eius esse, convocare Concilia? Sed vt melius de hac authoritate iudicare possitis, legite Socratem lib. 2. cap. 15. in græco. Athanasius, & alii quidam Catholici Episcopi, eiecti ab hæreticis è sedibus suis, Romam ad Iulium Episcopum Romanum contendunt, qui quòd & Catholicus esset, & civitatis tam potentis, tamq; multis donatæ privilegiis & prærogativis, Episcopus, ea, quam habuit, προνομίᾳ & authoritate plurimum potuit. Iulius, vtpote qui fidei Christianæ favebat, Athanasium, & reliquos illos Episcopos iniustè à sedibus suis expulsos esse iudicavit, ac propterea illos absolvit, eosq; Ecclesiis suis restituit. Quinetiam literas scripsit ad illorum Adversarios, in quibus illos graviter perstrinxit, & ignominiose excepit. Illi his acceptis literis, ὕβριν ἐποιοῦντο τὴν ἐπίπληξιν, id est, *Iulij reprehensionem contumeliæ loco ducebant*, nec in illius iudicio acquieverunt, sed synodum congregantes γνώμη

κοι-

κοινῇ ἀντεγκαλοῦσι Ἰουλίῳ, *communi sententia Iulium vicissim reprehendunt, & criminantur*, aiuntq; , nō deberesse ab illo in ordinem cogi, si quos illi vellent ex Ecclesiis suis eiicere , μὴ δεῖν εὐθύνεσθαι παρ' αὐτοῦ, *non debere ab illo restitui* , vt nec si ille aliquos eiiceret, ab ipsis restitui posse. Sic illi Iulio rescribunt, in sententia illius non acquiescentes, nec illius agnoscentes authoritatem Sed forsan quis obiiciet hos fuisse hæreticos , ac proinde non magnopere curandum esse, quid illi senserint, aut scripserint . Fateor quidem multos ex illis fuisse hæreticos, sed non omnes, & tamen Socrates ait illos κοινῇ γνώμῃ ad Iulium rescripsisse. Inter illos fuit quidam Marcus Arethusius , de quo Sozomen. lib. 3. cap. 10. homo pius & sanctus , qui etiam postea sub Iuliano gloriose martyrium passus est. Ille vnus ex iis fuit , qui Iulii literas tam indignè acceperunt . Non enim omnes Ariani fuerunt, qui Athanasio non favebant , quem etiam multi boni non amabant. Sed Iulii Epistolam omnes improbabant , ἐφ' ἅπασι δὲ τὸ αὔθαδες τῶν γραμμάτων ἐμέμφοντο. Ita illius ambitionem & insolentiam omnes graviter increpabant. Ex hoc igitur canone nihil contra nos concludi potest. Non enim sequitur , præter γνώμην Romani Pontificis Concilia celebrari non possunt: ergo solus Romanus Pontifex potest Concilia convocare . Sed Bellarminus Calvino sic respondenti obiicit , quòd tum quoque similiter de Alexandrino & Antiocheno Episcopo dici

ci posset, sine illorũ sententia non licere ἐκκλησίας κανονίζειν. *Respondeo*: hoc esse omnino verũ. Nam omnes præsertim Patriarchæ Conciliis interesse debebant, atq; ita nec παρὰ τὴν γνώμην αὐτῶν aut Concilia celebrari potuerunt, aut quicquam in illis sanciri vel potuit vel debuit. Similem enim locum habemus de Episcopo Constantinopolitano apud Socratem lib. 7. cap. 28. Vbi scribit Socrates Cyzicenos Episcopum sibi elegisse, in quo illos graviter reprehendit, quòd canonem violaverant, qui iubet nullum Episcopum fieri oportere sine consensu Episcopi Constantinopolitani. καὶ τοῦτο (inquit) ἐποίησαν ἀμελήσαντες νόμου τοῦ κελεύοντος, παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως χειροτονίαν ἐπισκόπου μὴ γίνεσθαι. Hic Canon non minùs Episcopo Constantinopolitano favere videtur, quàm ille Romano. Ex his, quæ dicta sunt, constat, illum Canonem, licèt antiquus sit, pro Adversarijs tamen nihil facere.

Quintum argumentum Bellarmini positum est totum in authoritate Concilii Chalcedonensis actione prima, vbi Dioscorus Episcopus Alexandrinus iubetur à Patribus illius Concilii non sedere inter Episcopos, quòd synodum fecisset sine authoritate Romani Pontificis, quod nunquam licuisse, nunquam factum esse, illi dixerunt, inquit Bellarminus. *Respondeo 1*: fuisse quidem hanc querelam Paschasini & Lucentii, qui pro Leone Episcopo Romano ad illud Concilium venerant, Diosco-

Dioſcorum habuiſſe Concilium Epheſi ſine conſenſu Pontificis Romani, quod ſanè fateor non licuiſſe. Fuit enim mos, vt omnes Patriarchæ aut per ſe aut per alios adeſſent. Sed 2. *Reſpondeo*: accuſatum fuiſſe Dioſcorum non tam propter ſpretam authoritatem Romani Pontificis, quàm quòd Concilium tam improbum celebravit, in quo hæreſis de unica Chriſti natura confirmata fuit. 3. *Reſpondeo*: Dioſcorum fuiſſe ſententiâ iudicum & ſenatus damnatum, conſentientibus Epiſcopis, propter multa ſcelera, inprimis propter Flavianum iniuſtè depoſitum, qui non fuit cõvictus criminis, & vnà cum Dioſcoro multi alii Epiſcopi damnati ſunt. Vbi fraudem Adverſarii obſervare poſſumus. Vult enim ille nobis perſuadere, ob nullam aliam cauſam damnatum fuiſſe Dioſcorum in illo Concilio, quàm quòd Concilium auſus eſſet ſine authoritate Romani Pontificis celebrare, cùm multò magis propter alia quàm propter hoc damnatus eſſet. Quod uerò attinet ad ſeptimum generale Concilium, in quo Conſtantinopolitanum quoddam Concilium damnatum fuit, quia ſine Romani Pontificis conſenſu fuit ab Imperatore coactum, non moramur. Fuit enim illud Concilium Nicænum ſecundum Idololatricum, & Antichriſtianum, quia imaginum adorationem confirmavit. Romanus Pontifex idolis illis favebat, ac proinde noluit vt Imperator, qui imagines oppugnavit, Concilium illud celebraret. Et de hoc quidem argumento ſatis

satis multa diximus.

Sextum Bellarmini argumentum sumitur ex testimonio & authoritate Concilij Romani quarti sub Symmacho Pontifice Romano, in quo cùm Rex Theodoricus diceret se Synodum convocâsse, vt causa Symmachi iudicaretur: Episcopi à Papa non à Rege Concilium indici oportere respondent, etiamsi Papa accusaretur, nec antè acquiescunt, quàm Rex ostenderet se ex consensu Symmachi Concilium convocâsse. *Respondeo.* 1: Hoc certè iniquũ valde est, non licere Imperatori aut Principibus Christianis Concilium cogere, ne tũ quidẽ cùm Romanus Pōtifex accusatur, & reus agitur, nisi Pontifex ipse velit. Videte quantum tribuant Episcopo Romano: etiamsi ipse accusetur, tamẽ sine eius consensu Conciliũ indici non oportere. At tùm si reus fuerit, nunquam Concilium indicet, nunquam reddet rationem administratæ à se Ecclesiæ, nec vnquam se damnari patietur, nisi dementissimus sit, si sine illo Concilia celebrare non liceat. Sed illi Episcopi, qui hoc modo Theodorico *R*egi responderunt, erant Symmachi adulatores, eique toti addicti, & eius etiam studio ad illud Concilium venerant, vt eum nimirum è manu *R*egis expedirent, & à culpa illa liberarent, cuius ipse accusabatur. 2. *Respondeo*: Bellarminũ non ingenuè nobiscũ agere. Ait enim, cùm *R*ex Theodoricus diceret se Synodũ convocâsse, quasi nō ita se res haberet, sed *R*ex sic diceret tantùm. At certum est

Synodum convenisse iussu Theodorici, eiusq; authoritate. Sic enim legimus in principio Cõcilij. *Sancta Synodus apud vrbem Romam ex præcepto gloriosissimi Regis Theodorici è diversis regionibus congregata in Dei nomine.* Et Symmachus de Concilij convocatione Regi gratias agit, & se lætari simulat. Tamen hi Episcopi, vt dignitatem suam tuerentur, aiebant non fuisse Theodorici, sed Symmachi, eos convocare; quia nolebant Regi ius aliquod in se concedere. Ita nihil ordine factum est in illo Concilio, quia Symmachus tergiversatus est. Sed quare non Symmachus ipse hoc Concilium indixit, sed Theodoricus? quis non videt non eam tunc habuisse Episcopum Romanum authoritatem, quam nunc vendicat, & quam vult Adversarius? Et in eodem Concilio legimus: *Decernere tamen aliquid Synodus sine Regia notitia non præsumpsit.* Ergo si nos velimus ita argumentari, vt Bellarminus, Regis fuit Concilium illud convocare, quia sine eius sententia nihil statuere Synodus potuit. Ita ille hoc argumento nihil effecit.

Septimum Bellarmini argumentum & vltimũ sumitur ex testimonio antiquorum quorũdam Pontificum Romanorum, & aliorum. *PRIMVM* testimonium est Leonis lib. 1. Epist. 93. c. 17. ad Turibium, in qua Epistola sic scribit Leo. *Dedimus literas ad fratres & Coepiscopos nostros, eisq; Concilium Synodi generalis indiximus.* *Respondeo:* illam Synodum, de qua Leo

Leo scribit non fuisse Oecumenicam, sed qualis potuit ab vno Patriarcha convocari. Bellarminus ergo mala fide hoc testimonium citavit, & lectore abusus est; qui novit generale Concilium non semper pro Oecumenico Concilio sumi, sed aliquando pro Nationali. Sic in Concilijs Romanis sub Symmacho habitis, semper legitur, Symmachus Concilio generali præsidens, & tamen Episcopi tantùm Italiæ illis Cõcilijs interfuerunt. Sic Toletanum tertium c. 18. dicitur generale, in quo erant tantùm Hispani Episcopi. Atque hoc Concilium, de quo nunc Leo scribit, tale fuit, ex Regionibus quibusdam sub eius Patriarchatu congregatum. Nominat enim Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos, Gallicos. At nostra quæstio non de Nationali sed de Oecumenico Concilio instituitur. *SECVNDVM* testimonium est Pelagij secundi Romani Pontificis in Epistola prima ad Orientales, in qua Epistola sic scribit Pelagius. *Generalium Synodorum convocandarum authoritas Apostolicæ sedi beati Petri singulari privilegio tradita est.* *Respondeo 1.* Loquitur hic, vt Papam decet. Sed quis huic sedi hanc authoritatem tradidit? quæ Scriptura? quis Imperator? quod Concilium? Ostendant, si possunt, & desinant aliquando mundo abuti. Hæc scripsit Pelagius contra Iohannem Constantinopolitanum Episcopum, suum æmulum & rivalem. Ambo enim vniversales Episco-

pi esse voluerunt. 2. *Respondeo*: Decretales illas Epistolas confictas esse ad Romani Pontificis authoritatem amplificandam. *TERTIUM* testimonium est Sixti tertij in Epistola ad Orientales, in qua sic scribit Sixtus. *Valentinianus Augustus nostra authoritate Synodum convocavit*. *Respondeo*: illud (*authoritate nostra*) à Glossatore quodam inepto interpositum esse. Nam Valentinianus sua authoritate potuit Concilium convocare, non opus habuit authoritate Pontificis Romani. Videte quomodo Papa dat authoritatem Imperatori convocandi Concilium. Sed nulla fides est harum Decretalium Epistolarum, mentiuntur enim & confingunt multa. Qui illas legunt, hoc facilè possunt perspicere. Nihil enim de fide, nihil de religione, nihil de pietate loquuntur, sed tantùm de Romani Pontificis authoritate. *QVARTVM* testimonium est Adriani secundi in Epistola ad Basilium Imperatorem, quæ lecta est in 8. Synodo act. 1. in qua Epistola sic scribit Adrianus. *Volumus per tuæ pietatis industriam Constantinopoli numerosum convocari Concilium*. *Respondeo*: fuisse hunc impium Papam, & hoc Concilium fuisse Idololatricum; ac proinde nullam eius habendam esse rationem. *QVINTVM* testimonium est Valentiniani Imperatoris apud Sozomen. lib. 6. cap. 7. luculentum inprimis (vt illi volunt) testimonium, ac propterea ab omnibus Pontificijs vrgeri

geri solet. Rogatus enim ab Episcopis Valentinianus, vt permitteret eis Concilium celebrare, respondet, *Mihi fas non est talia perscrutari.* *Respondeo*: Abutitur lectore Bellarminus. Nam *primò*, Episcopi illi miserant Hypatianum ad Imperatorem, ὥστε ἐπιτρέψαι συνελθεῖν, *vt permitteret eos convenire*: vbi eius summam fuisse authoritatem agnoscunt Concilia convocandi, nam alioqui cur ad illum petendi gratiâ miserunt? Manifestum est Episcopos illos sine venia ab Imperatore concessa & impetrata non ausos fuisse Concilium celebrare. *2.* Imperator non negat hoc ad se pertinere, vt Concilia convocaret, sed singulari quadam humilitate ait suum non esse de rebus & controversiis fidei disceptare, τοιαῦτα πολυπραγμονεῖν, sibi nō vacare hoc facere curis politicis & negotiis occupato. Transibat enim illo tempore per illas regiones in Italiam. Nicephorus lib. 11. cap. 3. quando hanc historiam commemorat, sic alloquentem Episcopos inducit Valentinianum. *Mihi negotijs occupato, & Reipublicæ curis distento, res huiusmodi inquirere non est facile.* 3. Dabat illis Episcopis Valentinianus copiam conveniendi ὅποι βούλονται, & illi mox Lampsaci convenerunt. Hoc sanè confirmat Imperatoris in Conciliis convocandis authoritatem, alioqui enim cur ad illum, non ad Papam omnino rem detulerunt? *Sextum* testimonium ex Gratiano sumitur distinct. 17. vbi sunt quidam canones Romani Pontificis authoritatem efferentes, sed in nullo

numero sunt, & plæriq; illorum iam antea sunt à Bellarmino commemorati. *SEPTIMVM* testimonium est Iohannis de Turre cremata, lib. 3. cap. 6. cuius tamen nullum verbum aut rationem affert. Nam quicquid in se robur habuit, iam antea prolatum est. *VLTIMVM* testimonium est decretum Concilii Lateranensis sub Leone decimo sess. 11, in quo asseritur, Romani Pontificis esse, generalia Concilia celebrare. *Respondeo:* hoc Concilium fuisse omnino Antichristianum. Vno enim anno habitum est, antequam Lutherus cæpit Evangelium promulgare. In hac eadem sessione cavetur, ne prædicatores de die iudicii aut tempore adventus Antichristi prædicent; sed si Dominus revera quibusdam revelaverit quædam (quod per Amos se promittit facturum) non debere hos antea eadem evulgare, quàm Apostolica sedes examinavit: aut si id commodè fieri non potest, Episcopus cum alijs; qui cōtrà fecerint, excommunicandos esse. Ita si Propheta aliquis exortus fuerit, qualis Amos fuit, aut alius ullus ex Prophetis, nil tamē evulgare debet, nisi à Papa permissus. Sed proximo anno post hoc decretum verus Dei Propheta Lutherus exortus est, qui Antichristum digito demonstravit.

CAP.

CAPVT 3.

In quo nostra argumenta proponuntur.

ADversariorum argumenta omnia, quibus in hac causa vti solent, proposita à nobis sunt & refutata: consequens nunc est, vt ad argumenta nostra veniamus, quibus probamus authoritatem congregandi Concilia non ad Pontificem Romanum, sed ad Imperatorem & Principes Christianos pertinere.

Primum nostrum argumentum est huiusmodi. Pii Reges in Ecclesia Israelitica soliti sunt Ecclesiam convocare: ergo similiter nunc licet Principibus in Ecclesia Christiana Concilia cōgregare. Consequentia firma est. Nam si in ea Ecclesia hoc factum est, quæ vnius regionis fuit, quæq; etiam vnà cum Regibus summum Pontificem habuit; quidni in nostra Ecclesia idem fiat? Antecedens facilè probari potest. David Concilium congregavit de Arca reducenda. 1. Chron. 13. 1. 2. & aliud Concilium, cùm iam senex esset, 1. Chron. 23. 1. Eodem modo Salomon Concilium congregavit, 1. Reg. 8. 1. Sic Ezechias 2. Chron. 29. 4. Similiter Iosiam fecisse legimus 2. Regum, 23. 1. 2. Hi pii Reges Ecclesiæ curam habuerunt, & religionis fuerunt admodum studiosi. Quando igitur Ecclesiam reformare, & religionem purgare voluerunt, Conci-

lium indixerunt & congregârunt, non modò laicorum sed sacerdotum etiam & Levitarum. At nullus vnquam sacerdos, qui tantùm sacerdos fuit, sua authoritate hoc fecit. Ergo Regis non Sacerdotis fuit Concilia convocare. Et quod illi Reges tunc fecerunt, idem Principes Christiani nunc facere possunt.

Secundum nostrum argumentum in hunc modum se habet. Illorum est Concilia congregare, quorum authoritati omnes Christiani parere debent, & ad quos spectat, quæ ad Ecclesiæ pacem & tranquillitatem faciunt, procurare: At hoc Principum & Regum munus atque officium est: ergo Principum & Regum est Concilia cogere. Propositio patet. Nam sine authoritate nullum Concilium congregari potest. Authoritatem autem illi habent, quibus omnes homines dicto audientes sunt, & quibus incumbit providere, vt omnes in pietate & honestate vivant. Assumptio ex Scripturæ authoritate probatur Rom. 13. 1. πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω, &c. Quo in loco ne quis Apostolum ad laicos tantùm sermonem suum accommodare existimet, Chrysostomus disertè ait hoc præcipi πᾶσι, καὶ ἱερεῦσι, καὶ μοναχοῖς, οὐχὶ τοῖς βιωτικοῖς μόνον. πᾶσα ψυχὴ (inquit) κἂν ἀπόστολος ἦς, κἂν εὐαγγελιστής, κἂν προφήτης, κἂν ὁστισοῦν. *Etiamsi Apostolus sis, etiamsi Evangelista, etiamsi Propheta, sive quisquis tandem fueris.* Ne Petrus quidem ipse eximitur.

eximitur. Si verò Petrus non eximatur, multò minùs Papa. Et eodem loco observat Chrysostomus Apostolum non dicere πειθέσθω, *pareat*, sed ὑποτασσέσθω, *subijciatur vnusquisque*. Et sic Oecumenius in hunc locum. Idem etiam Chrysostomus in homilia 2. ad populum Antiochenum vocat Imperatorem *summitatem & caput omnium super terram hominum*. Sic 1. Pet. 2. 13. iubet nos Apostolus ὑποταγῆναι βασιλεῖ, & 17. τιμᾶν βασιλέα. Ergo Episcopi etiam Imperatoris authoritati parere, & cùm ab illo vocantur, adesse debent. Et hoc est ius divinum. At iure divino unus Episcopus non habet authoritatem in alium, ut nec unus Apostolus in alium habuit, quemadmodum postea fusiùs docebimus, cùm de primatu Romani Pontificis disseremus. Ergo non nisi Regum est authoritate sua edicere, & præcipere, ut Episcopi vndique conveniant. Et ut intelligamus illorum esse pacem Ecclesiæ procurare, præcipit Apostolus 1. Tim. 2. 2. ut vota pro Principibus faciamus, quò *vitam tranquillam & honestam ducamus in omni pietate & honestate.*

Tertium nostrum argumentum sic instituo. Generalia Concilia nulla habita sunt, antequam Imperatores Christiani facti sunt; ergo videtur ad eos hoc munus & officium pertinere. Vt hoc argumentum meliùs confirmetur, quartum adiungemus.

Est ergo *quartum* nostrum argumentum huius-

iusmodi. Prima generalia Concilia indixerunt non Romani Pontifices, sed Cæsares & Imperatores Christiani; ergo horum authoritas hæc fuit, non illorum. Nam ij certè indixerunt, quorum fuit indicere. Videamus ergo primò de quatuor illis primis Concilijs celeberrimis, & ex monumentis veterum repetamus, quorum authoritate illa indicta & congregata sunt. *Primò* Nicenum primum Concilium à Constantino magno est congregatum. Sic Ruffinus lib. 10. cap. 1. *Tum Constantinus apud vrbem Nicænam Episcopale Concilium convocat*. Respondet Bellarminus legi in sexta Synodo Act. 18. à Constantino & Sylvestro magnam Synodum apud Nicæam congregatam fuisse, & Damasum quoque in Pontificali scribere, cum Sylvestri consensu habitum esse in Nicæa Concilium, & Ruffinum etiam ipsum in eodem capite dicere, Constantinum ex sententia sacerdotum Concilium indixisse. *Respondeo 1.* Quod ad sextam synodum & Damasum attinet, Sylvestrum antea mortuum fuisse, & Iulium tunc Romanum Pontificem fuisse, non Sylvestrum. Sic Athanasius in Apolog. 2. Sic Sozomen. lib. 1. cap. 17. Sic Nicephorus lib. 8. cap. 14. Sic Beda in Chronic. Ergo fieri non potuit, ut Sylvestri vel consensu, vel authoritate Concilium illud indiceretur. Quanquam si usus est Constantinus Sylvestri consilio & consensu, non multum refert, nec Adversarij causam quicquam iuvat. 2. Quòd ait Ruffinus Constantinum

tinum ex sententia sacerdotum illud Concilium indixisse, nihil facit ad rem. Quis enim negat illum adhibuisse in Concilium Episcopos? Sed tamen ex eodem Ruffino constat in eodem loco Alexandrum Episcopum Alexandrinum & alios Episcopos Ægypti, suasores illi fuisse, non Iulium Episcopum Romanum, ut historia testatur, aut Sylvestrum, aut aliquos sacerdotes Italos. Abutitur ergo Bellarminus lectoribus suis sub nomine sacerdotum, cùm veterum historiæ hac de re sint satis manifestæ. Iam verò à Constantino indictam fuisse Nicęnum Concilium, Eusebius qui idem Concilio interfuit, testatur, in lib. 3. de vita Constantini cap. 6. vbi sic scribit. Σύνοδον οἰκουμενικὴν συνεκρότει, σπεύδειν ἁπανταχόθεν τοὺς ἐπισκόπους γράμμασι τιμητικοῖς προκαλούμενος, idque fecit οἷς στρατιὰν αὐτῷ Θεοῦ φάλαγγα. *Generalem synodum congregavit, literis honorarijs & Regijs omnes Episcopos undiq, convocans, tanquam Dei quendam exercitum sibi in expeditionem educens.* Et Socrates lib. 1. cap. 8. eadem ferè verba habet. Σύνοδον οἰκουμενικὴν συνεκρότει, τοὺς πανταχόθεν ἐπισκόπους διὰ γραμμάτων εἰς Νίκαιαν ἀπαντῆσαι παρακαλῶν. *Ille* (inquit) *synodum Oecumenicam congregavit, & omnes, qui fuerunt undique, Episcopos, in Nicæam confluere hortatus est.* Similiter Theodoretus lib. 1. cap. 7. τὴν πολυθρύλλητον ἐκείνην πάλιν εἰς τὴν Νικαίαν συνήγαγε σύνοδον. *Celeberrimum* (inquit) *illud & fide dignum Concilium in urbe Nicæa congregavit.* Idem etiam Theodoretus lib. 2. cap. 4. testis est, Athanasium, qui eidē Concilio

Concilio interfuit, Cōſtanti Conſtātini filio revocâſſe in mentem hanc ſynodum à patre ſuo congregatam, eumq; hortatum eſſe, ut patrem imitaretur, & Concilium congregaret. Sozomen. lib. 1. cap. 17. hac de re ſic ſcribit. Συνεκάλεσε σύνοδον εἰς νίκαιαν, καὶ πανταχῆ τοῖς προεστῶσι τῶν ἐκκλησιῶν ἔγραψεν εἰς ῥητὴν ἡμέραν παρεῖναι. *Ille* (inquit) *convocavit ſynodum, & ad omnes vbique Eccleſiarum præpoſitos ſcripſit, vt ad diem indictum adeſſent.* Et ait idem Sozomenus illum ad Apoſtolicos thronos miſiſſe literas, ad Macarium Epiſcopum Hieroſolymitanum, Euſtathium Epiſcopum Antiochenum, Alexandrum Epiſcopum Alexandrinum, & Iulium Epiſcopum Romanum, qui ſenex admodum cùm eſſet, adeſſe ipſe non potuit, ſed miſit ſuo loco Vitum & Vincentium. Quid quod Patres ipſi Niceni in Epiſtola συνοδικῇ ad Eccleſiam Alexandrinam, quæ habetur apud Theodoretum lib. 1. cap. 9. teſtantur ſe authoritate Conſtantini convocatos fuiſſe? Verba ſic ſe habent. Τῆς τοῦ Θεοῦ χάριτος, καὶ τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως Κωνσταντίνου συναγαγόντος ἡμᾶς ἐκ διαφόρων ἐπαρχιῶν καὶ πόλεων ἡ μεγάλη καὶ ἁγία σύνοδος ἐν νικαίᾳ συνεκροτήθη. *Dei gratiâ* (inquiunt) *& ſanctiſſimo Imperatore Conſtantino nos congregante ex variis provinciis & vrbibus, magna & ſancta ſynodus Nicææ cōgregata eſt.* Hîc nulla mentio fit Romani Pontificis, nec in indicendo hoc Concilium, nec in conſentiendo. Et ſi Romanus Pontifex hoc Concilium indixiſſet, ille procul dubio non Nicææ tam

procul à Roma, præsertim cùm senex esset, sed Romæ celebrâsset, non in Asia, sed in aliqua parte Italiæ. Ex his ergo constat ab Imperatore fuisse congregatum hoc Concilium, non à Papa. *Secundum* Concilium generale, nempe Constantinopolitanum primum, à Theodosio seniore indictum est, non à Damaso Papa. Hoc patet ex Theodoreto lib. 5. cap. 9. Sed Bellarminus respondet, licèt Theodosius indixit, tamen ex mandato Apostolicarum literarum indixisse, ut in eodem capite habetur. *Respondeo :* Verba apud Theodoretum lib. 5. cap. 7. in græco codice sic se habere. τούτου δὴ ἕνεκα τοὺς ἐπισκόπους εἰς τὴν Κωνσταντινούπολιν συναθροισθῆναι προσέταξεν. *Huius rei gratia* Theodosius *iussit Episcopos Constantinopoli congregari.* Ergo Theodosius illam synodum indixit. Iam verò quòd ex mandato literarum, quas scripsit Damasus, id est, Damasi authoritate id eum fecisse affirmat Adversarius, absurdum esse patet ex literis Patrum eiusdem Concilij. Nam Patres illius Concilij in Epistola ad Damasum, quæ habetur apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. aiunt synodum fuisse Romæ à Damaso indictam, διὰ τῶν τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως γραμμάτων, id est, *per literas sanctissimi Imperatoris,* scilicet Theodosij. Præterea ijdem Patres in Epistola ad Theodosium Imperatorem, quæ habetur in actis Constantini, aiunt se fuisse ab illo convocatos. *Evocati literis tuis* (inquiũt) *Cõstãtinopolim convenimus.* Et paulò pòst *Literis, quibus nos convocâsti, Ecclesiam hono-*

râsti. Socrates lib. 5. cap. 8. similiter scribit. μηδὲν ὁ βασιλεὺς ὑπερθέμενος σύνοδον ἐπισκόπων συγκαλεῖ. *Nullâ omnino morâ interpositâ* (inquit) *Rex Episcoporum synodum Constantinopolim convocavit*. Eodem planè modo scribit Sozomenus lib. 7. cap. 7. Nullam illi mentionem faciunt Romani Pontificis. Et si ille sua authoritate hoc Concilium indixisset, Romæ procul dubio non Constantinopoli celebrâsset. Ad *tertium* Concilium generale iam venio, nempe Ephesinum primum, quod à Theodosio iuniore congregatum fuit. Hoc patet ex Euagrio lib. 1. cap. 2. Respondet Bellarminus indictam fuisse hanc synodum industriâ Cyrilli Episcopi Alexandrini, & authoritate Celestini Pontificis Romani, ut testatur Prosper in Chronico; & ait Cyrillum fuisse Legatum Celestini, de qua re in alia quæstione dicendum est, quando de præside Conciliorum inquiremus, quis nimirum Conciliis præesse debeat. *Respondeo:* Euagrii verba aperta esse, lib. 1. c. 3. νεύματι τοῦ νέου Θεοδοσίου τὴν ἐν Ἐφέσῳ πρώτην σύνοδον ἀθροισθῆναι, *nutu vel imperio iunioris Theodosii Concilium primum Ephesinum congregatum fuisse*, & scripsisse Theodosium literas ad Cyrillum, & τοὺς ἁπανταχῇ τῶν ἁγίων ἐκκλησιῶν προεστηκότας. *& ad omnes vbiq; sanctarum Ecclesiarum præpositos:* ergo etiam ad Romanum Episcopum. Celestinus quidem illi Concilio per legatum suum interfuit, & Cyrillus etiam summas in eodem Concilio partes habuit, sed neutrum tamen illorum Concilium indixisse

dixisse

dixisse manifestum est. Hoc etiam testatur Liberatus in historia de Concilio Ephesino, vbi sic scribit. *Et post hæc scripsit gratiam sacram ad vniversos Episcopos, vt Ephesum convenirent, & ferrent de Nestorij libris & Cyrilli iudicium.* Ergo Imperator hoc Concilium indixit, nō Cyrillus, non Celestinus. Sic Episcopi Orientales in Epistola ad Reges Theodosium & Valentinianum, quæ est inter acta. Sic tota Synodus in Epistola ad Reges testatur se ab illis convocatā fuisse, & illorum literis atque edicto convenisse, & se illorum Synodum vocat. Et in Epistola ad omnes Episcopos sic scribit ipsa Synodus. *Cùm essemus Ephesi secundùm pias Imperatoris literas congregati.* Et Leo etiam hæc fatetur in Epist. 12. Hæc evincunt Imperatorem, non Pontificem Romanum, hoc Concilium congregâsse. Romanus verò Pontifex si convocâsset, Romæ celebrâsset, aut in Europæ saltem parte aliqua, non Ephesi in Asia. *Quartum* Concilium generale, nempe Chalcedonense, à Martiano Imperatore indictum fuit, vt patet ex Leone Epist. 43. 53. & alijs nonnullis eiusdē Epistolis. Respondet Bellarminus Martianum rogâsse Pontificem, vt veniret ad Concilium. Sed hoc nihil ad rem. Quidni enim rogaret? Deinde affirmat petijsse ab illo, vt significaret, quid vellet agi. Nec hoc aliquid est. Tandem ait illum dicere, se scripturum esse ad omnes Episcopos, vt ad certum locum convenirent. Ergo ipse Bellarminus fatetur indictam esse ab Impe-

Imperatore hanc Synodum. Poſtea Bellarminus duas Epiſtolas affert. Sed hæ nihil probãt. Prima eſt quorundam Epiſcoporum ſecundæ Mæſiæ ad Leonem Imperatorem. Secunda eſt Gelaſij ad Epiſcopos Dardaniæ. Sed res tam clara eſt, quàm quiſquam poteſt deſiderare. Nã Leo ipſe, qui tum Pontifex Romanus fuit, in multis locis teſtatur ſe non potuiſſe Concilium convocare, ſed hoc eſſe totum Imperatoris. Sed quid opus eſt externis teſtimonijs? Ipſa Synodus Chalcedonenſis actione prima teſtatur, non modò ſe ab Imperatore indictam eſſe, verumetiam ipſum Romanum Epiſcopum eò vocatum eſſe, qui cùm ipſe adeſſe non potuit, quatuor legatos miſit. Romanus verò Pontifex ſi hoc Concilium convocâſſet, Romæ procul dubio indixiſſet, non Chalcedone in Aſia tam procul à Roma. Atque hæc de quatuor illis primis Oecumenicis Concilijs dixiſſe ſufficiat, quæ omnia fuiſſe ab Imperatore indicta, luce meridiana clarius eſt. Iam de alijs Concilijs videamus. Non tantùm hæc Concilia, quæ ſummæ authoritatis & fidei ſunt, ſed alia etiam ab Imperatoribus ſunt congregata. De vno aut altero videamus. Synodus illa, quæ Sardicæ habita eſt, Imperatoris authoritate cõvocata fuit. Sic Theodoretus lib. 2. cap. 4. Bellarminus non dubitat affirmare, Iulij authoritate convocatam fuiſſe, qui Pontifex Romanus eo tempore fuit. Et vt hoc probet, affert Socratem lib. 2. cap. 16. Sed ſi quis locum ipſum inſpexerit, hoc eſſe falſiſſimum

ſiſſimum planiſſimè intelliget . Socratis enim hæc verba ſunt cap.20.in græco codice. κηρύσσεται αὖθις οἰκουμενικὴ σύνοδος γνώμῃ τῶν δυοῖν βασιλέων. *Indicitur iterum generalis ſynodus authoritate duorum Regum*, Conſtantij ſcilicet, & Conſtantis. Nam quòd quidam Epiſcopi Iulium accuſant propter anguſtiam temporis, quæ eſt Bellarmini ratio; hoc nihil ad rem. Potuit enim Iulius quidem in cauſa eſſe, vt Imperatores celeriùs Concilium indicerent, ita tamen vt ipſe Cõcilium non convocaret. Apud Theodoretum lib.2.cap.4. aperta verba ſunt, Conſtantium iuſſiſſe in Sardica Concilium celebrari. Et Socrates lib.2.cap.37.ait à Conſtantio duas ſynodos ſimul indictas fuiſſe, Seleuciæ nempe & Arimini, eumque ſua authoritate ne conſulto quidem Epiſcopo Romano hæc Concilia congregâſſe. Sed Bellarminus, cùm vidit rem manifeſtam eſſe, tandem concedit Concilia illa prima generalia ab Imperatoribus quidem indicta fuiſſe, ſed ex Romanorum Pontificum ſententia & conſenſu, quod tamen ille hactenus non probavit. Sed vt videatur aliquid dicere, fingit quatuor cauſas, cur tunc non ſolus Pontifex Concilia indixerit ſua authoritate. *Prima* cauſa eſt, quia tunc adhuc vigebat antiqua illa lex Imperialis, quæ prohibebat omnia Collegia, & frequentes hominum conventus, ſine Imperatoris authoritate, propter ſeditionis metũ. *Reſpondeo :* Idem nunc ſeditionis metus eſt:

ergo si tunc valuit illa lex, & nunc etiam valere debuit. Quæro igitur, num illa lex Imperialis pia fuerit, an impia. Si impia, tum Constantinus & alii pii Imperatores eam procul dubio abrogâssent. Si pia, & non pugnans cum Christiana religione, cur non hodie, & omnibus etiam seculis valere debet? Quare Pontifex nunquam aut potest aut debet sua authoritate Concilia congregare. *Secunda* ratio seu causa est, quòd cùm Imperator eo tempore totius ferè orbis Dominus fuit, non potuit haberi Concilium, nisi in aliqua vrbe Imperiali, quod sine licentia Domini illius loci fieri non potuit, vt hodie in Hispania, Gallia, vel Germania Concilium haberi in aliqua provincia aut civitate non potest, sine illius consensu, cuius est illa civitas, vel provincia. *Respondeo:* Sed potuit tum veniam impetrare Pontifex ab Imperatore, vt in alia vrbe celebraret. Atq; hîc duo dicit Bellarminus, quæ pugnant cum authoritate Pontificis Romani. *Primum* est, Imperatorem fuisse tum Dominum totius ferè orbis, & toti orbi imperâsse, quód alibi negat *Secundum* est, nullam vrbem fuisse, cuius Imperator Dominus non fuit. Ergo Roma primorum Conciliorum tempore, Imperatoris non Pontificis fuit. Et tamen iactant Adversarii Papam Dominum fuisse & Romæ & totius Regionis, idq; ex Constantini donatione Iam quidem Imperator prorsus exclusus est, & Pontifex Romanus omnia possidet. Sed quia Bellar-

Bellarminus ait hanc fuisse vnam causam, cur Imperatores illis temporibus Concilia indixerint, quæro ab illo, num si nunc in Hispania Concilium generale celebraretur, Hispaniæ Regi authoritatem daret illud Concilium convocandi? Non id (opinor) pateretur Pontifex. Ergo non satis attendit, quid dicat. *Tertia* causa est, quia tum fiebant publicis sumptibus omnia Imperatorum tantùm. Congregabantur Episcopi expensis & sumptibus non suis, aut Ecclesiarum, sed tantùm Imperatorum. Sed *respondeo*; non fuisse hanc satis iustam causam, cur pij illi Imperatores Pontifici suam authoritatem detraherent, & sibi plus arrogarent, quàm ad ipsos pertineret. *Quarta* causa est, quia eo tẽpore Pontifex, etsi in spiritualibus esset omniũ caput, etiã Imperatorũ, tamen in tẽporalibus se subijciebat Imperatoribus, & ideo non poterat invito Imperatore aliquid agere. At nunc longè aliter se res habet. Nam & caput est omnium in spiritualibus, & non est subiectus Imperatori in tẽporalibus, sed Dominus per se. *Respõdeo:* Hæc præclarè conficta ratio est. Sed sumamus, quod dat, olim subiectum fuisse Pontificẽ Romanum Imperatori in omnibus causis temporalibus, & non potuisse invito Imperatore aliquid agere. Quæro igitur, vnde nunc tanta cõmutatio facta sit? qua authoritate, aut quo iure, se ex subdito Imperatoris non subditum fecerit, sed ei æqualem, vel potius superiorem? & quare à sua cervice Imperatoris authoritatem repulit, eumq; si-

bi in omnibus ſubiecit? Si antea Imperator illo ſuperior fuit, quæro nũ iure divino ſuperior fuit, an non? Si iure divino non fuit ſuperior, cur illi ſe Pontifex ſubiecit? Si iure divino fuit ſuperior, debet ergo & nunc Pontifex Imperatorẽ Dominũ ſuũ agnoſcere & appellare, vt olim pii Epiſcopi fecerunt. Authoritas enim Imperatoris ſuper Epiſcopos eſt ex iure divino, authoritas verò Epiſcopi ſuper Epiſcopos & Imperatores ex iure humano eſt, addo etiam, quod ad poſteriorem partem attinet, Antichriſtianũ.

Venio nunc ad quintum & poſtremum noſtrum argumentum, quod in veterum authorum teſtimoniis poſitum eſt. Hieronymus in Apolog. 2. adverſus Ruffinum ſententiæ noſtræ egregius patronus eſt. Cùm enim Ruffinus falsò diceret, damnatum atq; excommunicatũ fuiſſe Hilarium in ſynodo quadam, quærit ab illo Hieronymus, in qua civitate convocata fuit illa ſynodus? quæ fuerunt Epiſcoporum vocabula? quæ ſententiæ ſubſcriptionum? qui eo anno conſules? cuius gentis Epiſcopi illi ſynodo interfuerunt? quæ fuit cauſa congregandi? deniq; quis Imperator hanc ſynodum iuſſerit congregari? Teſtimonium luculentiſſimum. Bellarminus nihil aliud habet, quod reſpondeat, niſi Imperatores tunc ob cauſas dictas ſynodos convocâſſe, licèt non ſine conſenſu Pontificum. *Reſpondeo:* Quid hoc ad rem? Demus Pontifices conſenſiſſe; quis enim pius Epiſcopus non conſentiret? At Imperator interim iuſſit cõgregari.

Au-

Authoritas ergo tota nō Episcopi, sed Imperatoris fuit. Solebant quidem Imperatores in huiusmodi negotijs, Episcopos in consilium adhibere, sed horum nulla authoritas fuit. Iusserunt Imperatores, consenserunt Episcopi. Erasmus in illum locum sic scribit. *Nota, lector, olim synodos Imperatorum iussu congregari solitas.* Quam ob causam Marianus Victor eum reprehēdit, & in illum invehitur, sed absurdè admodum, & imperitè. Idem Hieronymus in Epitaph. Paulæ sic scribit. *Cùm Orientis & Occidentis Episcopos ob quasdam Ecclesiarum dissensiones Romam Imperiales literæ contraxissent &c.* Si Romæ Concilia ab Imperatore congregata fuerunt, tum nulla fuit Romani Pontificis Concilia congregandi authoritas. Liberius Papa in sermone seu colloquio quodam cum Constantio Imperatore, quod habetur apud Theodoret. lib. 2. c. 16. concedit Imperatoris esse Concilia convocare, & hanc totam authoritatem illi tribuit. Bellarminus ait Centuriatores Magdeburgenses hoc testimonium afferentes mentiri. Bona verba quæso. Videamus ergo locum ipsum, atq; adeo verba Liberii apud Theodoretū, quæ sic se habent. διόπερ εἴ σοι δοκεῖ τῇ εὐσεβείᾳ, κριτήριον συναχθῆναι κέλευσον. *Quapropter si ita visum fuerit pietati tuæ, iube Concilium congregari.* Ergo habuit tunc Constātius Imperator authoritatem congregandi Cōcilia. Liberius enim non tribuisset ei hanc authoritatem, si eius non fuisset. Sciebat (inquit Bellarminus) invito Imperatore Concilium cō-

gregari non potuiſſe, atque ideo ab Imperatore potentiſſimo, & Ariano, ac proinde ſibi infeſto petit, ut fieret Synodus. At ait Conſtantio Liberius, κέλευσον: ergo illi iubendi authoritatem tribuit. Si hoc certè ius ſuum fuiſſet, non Imperatori quantumvis potenti & hæretico tribuiſſet, nec tribuere debuiſſet. Sed hoc totum planè Imperatorum fuiſſe conſtat. Conſtantinus non modo Nicænam ſynodum primam, ſed & aliam etiam Tyri congregavit, & poſtea per literas illius ſynodi Epiſcopos ad ſe venire iuſſit, ut, quid cõtra Athanaſium ſtatuiſſent, indicârent, illiq; facti ſui rationem redderent, Sozomen. l. 2. c. 28. Et ſic eius filius Conſtantius multas Synodos congregavit. Socrates lib. 5. in procem. cauſam exponit, quamobrem libris ſuis res geſtas Imperatorum complexus eſt, nempe quia ad illos, ex quo facti ſunt Chriſtiani, res Eccleſiæ pertinebant, & illorum ſententiâ maximæ ſynodi habitæ ſunt. Verba hæc ſunt. *Συνεχῶς δὲ καὶ τοὺς βασιλεῖς τῇ ἱστορίᾳ περιλαμβάνομεν, διότι ἀφ' οὗ χριστιανίζειν ἤρξαντο, τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα ἤρτητο ἐξ αὐτῶν, καὶ αἱ μέγισται σύνοδοι τῇ αὐτῶν γνώμῃ γεγόνασί τε καὶ γίνονται.* Quibus verbis docet Socrates Imperatorum olim fuiſſe Concilia congregare, & ſuo etiam tempore congregâſſe. Athanaſius in lib. de ſynodis de Concil. Seleuc. & Arim. ſic ſcribit. *Ab Imperatore præfectiſq; literæ ſequentes in omnem partem orbis miſſæ ſunt, eos, qui illuc ituri erant, convocantes.* Chryſoſtomus in Epiſtola 1. ad Innocentium Epiſcopum Roma-

Romanum ſic ſcribit. *εἰσιόντες παρεκαλοῦμεν τὸν θεοφιλέστατον βασιλέα σύνοδον συναγαγεῖν. Nos ſanctiſſimum Regem adijmus, ab eoq́; petijmus, vt Concilium congregare velit.* Petijſſent verò hoc à Romano Pontifice, non ab Imperatore, ſi eius fuiſſet Concilia congregare. Ambroſius in Concil. Aquileien. ſic ſcribit. *Convenimus ad Aquileienſium civitatem iuxta Imperatoris præceptum.* Et ſtatim Palladius Arianus in eodem Concilio ſubiungit. *Imperator noſter Gratianus iuſſit Epiſcopos Orientales venire: negas tu iuſſiſſe?* Illi ſiquidem Epiſcopi magis favebant hæreſi Arianæ. Et paulò pòſt, Euſebius Catholicus Epiſcopus, *Epiſcopos Imperator iuſſit convenire.* Ergo Imperatoris erat iubere Epiſcopos, & Concilia congregare. Leo Romanus Epiſcopus, etſi ambitioſus ſatis fuit, & authoritatem in alios exercere ſtuduit: tamen non auſus eſt unquam hanc ſibi authoritatem aſſumere, aut vendicare, ſed Imperatori ſemper tribuit. Liberatus enim in hiſtoria ſua de rebus Eccleſiæ cap. 12. ait illum cum aliis Epiſcopis Italiæ in genua provolutos ab Imperatoribus petijſſe, ut Concilium indicerent, nec tamen impetrare potuiſſe. Leo etiam ipſe in Epiſt. 9. ad Theodoſium ſic ſcribit. *Vnde ſi pietas veſtra ſuggeſtioni ac ſupplicationi noſtræ dignetur annuere, vt intra Italiam haberi iubeatis Epiſcopale Concilium, &c.* vbi nil ſibi, niſi admonitionem, ſuggeſtionem, & ſupplicationem tribuit, authoritatem verò iubendi Imperatori relinquit. Idem in Epiſt. 24.

ad eundem, idipſum vehementiſſimè petit ab eodem Theodoſio his verbis. *Omnes manſuetudini veſtræ cum gemitibus & lachrymis ſupplicant ſacerdotes, ut generalem ſynodum iubeatis intra Italiam celebrari.* Hoc quidem ipſe petiit, at non impetrare potuit, ut id fieret. Nam apud Epheſum Imperator conſtituit ſynodale Concilium extra Italiam, ut conſtat ex Leonis Epiſt. 12. Ex quo conſtat nullam fuiſſe hac in re, Pontificis Romani authoritatem. Nec ipſe tantùm ſupplex hoc petiit ab Imperatore, ſed ad Clerum etiam Conſtantinopolitanum ſcripſit, ut ipſi quoque idem peterent, Epiſt. 23. vbi ſic ſcribit. *Quoniam oportet vos poſt divinum auxilium etiam Catholicorum Principum gratiam promereri, humiliter, ac ſapienter expoſcite, ut petitioni noſtræ, qua plenariam indici ſynodum poſtulamus, clementiſſimus Imperator dignetur annuere.* Similiter etiam poſtea idem Leo mortuo Theodoſio, à Martiano idipſum petiit, & cùm is celeriùs, quàm cupiebat, Concilium indiceret, petiit ut differretur in alium diem, ſed Martianus in ſententia permanſit, & eodem die celebrari iuſſit, qui fuit antea deſtinatus, ut patet in Leonis Epiſt. 43. Et hoc Concilium quoque in Italia fieri petiit Leo Epiſt. 26. ſed non obtinuit. Nam celebratum fuit extra Italiam longo intervallo in Bythinia, in civitate ſcilicet Chalcedonenſi. Sic Romanus Epiſcopus nil niſi petere potuit, & tamē nō ſemper impetravit, quod petiit. At ſi hoc ius ſuū fuiſſet, non ſic Imperatori rem totam permiſiſſet.

misisset. Hoc ergo totum in Imperatoris authoritate positum fuit, Concilia scilicet congregare, quando, ubi, & quoties voluerit. Et quidem ex his quæ dicta sunt constat, Imperatores non magnam Pontificum Romanorum rationem habuisse, qui illorum tam æquis postulatis annuere noluerunt. Et postea etiam omnes pij Principes, qui Principes fuerunt, & non servi Romani Pontificis, hanc authoritatem sibi semper vendicârunt. Carolus Magnus in Gallia quinque Concilia Provincialia celebravit, & unum etiam generale Francoforti sine Pontificis Romani vel consensu quidem, in quo damnata est impia illa sententia synodi Nicænæ secundæ de cultu imaginum, quinque annis post Nicænum illud Concilium. Sed pergamus, & adhuc alia testimonia adiungamus. Nilus Archiepiscopus Thessalonicensis librum scripsit contra primatum & tyrannidem Romani Pontificis, in quo etiam libro omnia olim antiqua Concilia ab Imperatore, non à Romano Pontifice, congregata fuisse probat. Huius libros latinè è græco versos edidit Illyricus. Digni sanè sunt, qui legantur. Æneas Sylvius (qui postea Pontifex Romanus factus est, & dictus est Pius secundus) in lib. 1. de Concilio Basiliensi apertus est in hac causa, & nostras partes disertè tuetur. *Ex hisce authoritatibus* (inquit) *mirum in modum se putant armatos, qui Concilia negant fieri posse sine consensu Papæ. Quorum sententia si, vt ipsi volunt, inviolata persistet, ruinam*

secum

secum Ecclesiæ trahit. Nec hoc tantùm nudis verbis dixit, sed ratione etiam comprobavit. *Quid enim erit remedij* (inquit) *si Papa criminosus Ecclesiam perturbet, si animas perdat, si fidei contraria prædicet, & hæreticis dogmatibus imbuat subditos?* Quæ certè ratio refelli non potest. Subiungit idem Æneas. *At ego dum lego veteres historias, hunc morem non invenio, vt soli Papæ Concilia congregaverint. Nec pòst tempore Constantini Magni & aliorum Augustorum quæsitus est magnopere Romani assensus Papæ.* Hæc Æneas in Basiliensi Concilio, cui ipse interfuit, & quod probavit. Et hoc Concilium totum decrevit cõtra Papam, eiusq́ue authoritatem. Sed Cardillus Papista, qui Concilio Tridentino interfuit, in disputat. 1. de Concil. respondet, Æneam quidem, cùm iuvenis atque Æneas esset, ita sensisse, sed vbi adolevit iam, atque pius evasit, sententiam mutavisse, & Bullam retractationum edidisse. Et sic putat huic testimonio satisfieri. Sed respõdeo, Æneam quidem, postquam non pius, sed impius Papa evasisset sub nomine Pij secundi, palàm aliter sensisse, & sententiam mutavisse, sed in peius tamen, nullis iustis rationibus inductum, sed inconstantiâ, levitate, & ambitione impulsum. Homo enim ambitiosissimus fuit, & Papatus sitientissimus, quemadmodum referunt historiæ. Verè scripsit antea, sed pòst ambitione & desiderio primatus palinodiam cecinit. Cùm verò Papa factus est, necesse illi fuit rem suam agere, & sedis suæ prærogativam atque

que authoritatem defendere. Ita ille sententiam cum secta mutavit. Sed rationes illas, quibus vsus est, cùm esset Æneas, non refutavit, cùm factus est Pius. Bulla verò ab eo edita planè Antichristiana fuit, & impia, vt facilè cuivis legenti constare potest. Nicolaus Cusanus Cardinalis lib. 2. de concordia Catholica, cap. 25. affirmat octo vniversalia Concilia per Imperatores fuisse convocata. Cardillus in eodem loco, qui suprà citatus est, respondet, eum nihil pro nobis, aut contra ipsos facere. Scribere enim tantùm, Imperatores Concilia convocâsse, sed de iure & authoritate cogendi nihil definire. Præclara responsio. Sed si locum legisset, hoc nunquam dixisset. Nam Cusani hæc verba sunt. *Authoritas Concilij non ita dependet à congregante, vt nisi à Papa congregetur, non sit Concilium, quia tunc omnia octo vniversalia Concilia non fuissent firma, quoniam per Imperatores convocata leguntur, & Romanus Pontifex ad instar aliorum Patriarcharum, Divales sacras iussiones, de veniendo aut mittendo ad Concilium recipit.* Quo in loco tria scribit Cusanus. *Primò*, generalia Concilia posse esse firma & legitima, quæ à Romano Pontifice non congregãtur, quod contra Adversarios vel maximè facit. *Secundò*, omnia octo prima Oecumenica Concilia ab Imperatoribus nõ à Romano Pontifice indicta & convocata fuisse. Vnde manifestum est per annos octingentos post Christum & amplius, nullum generale Concilium à Romano Pontifice coactum fuisse.

ſe. Sed videte locum. *Tertiò*, ait Cuſanus ipſum Romanum Pontificem fuiſſe literis Imperatorijs ad Concilium evocatum, non minùs quàm alios Patriarchas, vel vt ipſe loquitur, *ad inſtar aliorum Patriarcharum*: ergo non maiorem habebat ipſe authoritatem, quàm reliqui Patriarchę. Quid dici potuit apertius? Ex his cōſtat authoritatem, quam hodie exercet Romanus Pontifex, eſſe recentem, eſſe tyrannicam, eſſe iniuſtā, eſſe Antichriſtianam. Dominicus Iacobatius lib. 3. artic. 1. pag. 143. ſic ſcribit. *Quia à principio facultas congregandi Concilia ſpectabat ad Imperatores. Poſtremò* (vt finem tandem faciam cumulandi teſtimonia) Pighius lib. 6. de hierarch. Eccleſiaſt. cap. 1. ſcribit, generalium Conciliorum convocationem fuiſſe inventum Conſtantini Magni: ergo non lege vlla divina præcipitur, nec à Romano Pontifice inventum fuit, qui tamen Eccleſiæ primatum ſibi vendicat. Bellarminus non probat hanc ſententiam. Nihil verò aliud reſpondet, niſi Conſtantinum hoc per ſe non excogitâſſe, ſed ſacerdotum ſententiam ſecutum eſſe. Demus hoc ei, ſecutum eſſe Conſtantinum ſententiam ſacerdotum, ſed quorum tandem? non certè Romanorum, aut Italorum, ſed Ægyptiorum. Sic enim diſertè ſcribit Ruffinus lib. 10. hiſtoriæ ſuæ cap. 1. Nam illi rogârunt, & perſuaſerunt, vt propter Arium cogeret Epiſcopos vndequaque, quod ille fecit. Si hoc ad Papam pertineret, cur non ab illo hoc factum eſt? Nulla verò Romani Pontificis petitione

tione permotum fuiſſe Conſtãtinum legimus, vt Concilium congregaret. Sed demus eum Romanorum etiam ſacerdotum ſententiam ſecutum eſſe, tamen authoritas illorum nulla fuit, ſed ſolius Imperatoris. Ex hac verò Pighij ſententia conſtat hanc authoritatem non pertinere ad Pontificem iure divino. Nam Pighius ait eſſe inventum Conſtantini Magni. Et Bellarminus non negat, ſed ait eum ex ſententia ſacerdotum inveniſſe. Eſt ergo humanum invẽtum. Et quidem licèt divini forſan iuris ſit, vt conveniant Epiſcopi, tamen vt conveniant vniverſi, non divini ſed Eccleſiaſtici iuris eſt. Cùm ergo non iure divino hanc authoritatem habeat Papa, quo tandem humano iure habet? num civili? at hoc Cæſari tribuit hanc authoritatem, num aliquo antiquo iure? nequaquam. Nullo ergo iure habet, niſi Canonico, Decretali, & Pontificio, hoc eſt, ſuo, quod apud nos nullam vim habere debet, quia Antichriſtianum eſt, & ab omni pietate ac religione omnino abhorrret. Atque hæc de ſecunda quæſtione ſufficiant: iam ad tertiam veniamus.

Quæſtionis ſecundæ finis.

Tertia Quæstio,

De Concilijs.

Quinam sint ad Concilium convocandi.

CAPVT. I.

De statu Quæstionis.

Hîc primò repetendum est fūdamentum, quod in initio posuimus ex Act. 15.6. Συνήχθησαν δὲ οἱ Ἀπόστολοι ϗ οἱ πρεσβύτεροι ἰδεῖν περὶ τοῦ λόγου τούτου. Tertio nunc loco quærendū & disputandum est, qui sint ad Concilia convocandi: quorum sit illis interesse: & ex quo hominum genere constare debeant. Status verò Quæstionis primo loco quærendus est. Adversarii totam Ecclesiam, atq; adeo omnes Christianos in duo hominum genera dividunt. Alios enim vocant Clericos, alios Laicos. Et Clericorum duo genera statuunt. Alij enim prælati sive præsules sunt, alij non. Sic etiam laicorum alios aiunt esse Principes, alios privatos. Et nos istam distinctionem non planè reijcimus, aut improbamus. Nam etsi ordines illos Papisticos respuimus & damnamus penitus, & Sacramentum illud commentitium esse dicimus: tamen debere esse certos homines ministerio verbi & Sacramētorum destinatos non ne-

negamus, quos ex reliquo hominum cætu ſeli-gēdos eſſe ſtatuimus, nec eſſe illa ab aliis quàm legitimis miniſtris tractanda affirmamus, à nullo Principe, à privato nullo. Hi olim κληρικοὶ dicti ſunt, quòd certa ratione ſortiti eſſent munus aliquod Eccleſiaſticum. Atque in his gradus aliquos eſſe dicimus, alios eſſe Diaconos, alios Presbyteros, quorum diſtincta olim officia fuerunt. Ergo quæritur, quinam ex his ad Concilium ſint vocandi. Et dicunt Adverſarij poſſe aliquos multis de cauſis Concilijs intereſſe. Sunt enim ex illorum ſententia quatuor ordines & gradus eorum, qui ad Concilia venire debent. Aliqui enim interſunt, vt iudices, atque hi habent ſuffragium deciſivum. Alij, vt diſputent, & examinent difficultates, & hi habent ſuffragium conſultivum. Alij, vt defendant Concilium, dentque operam, vt pacata omnia ſint intus & extra. Alij, vt miniſtrent, cuiuſmodi ſunt notarij, cuſtodes, famuli. Ergo nullum genus hominum excludunt Adverſarij, quò minùs ad Cōcilium veniant, nec laicos, nec clericos. Poſſunt enim omnes aliqua ex his quatuor tractare. Principes defendere Concilium poſſunt, privati miniſtrare, clerici non prælati & alij diſputare, prælati decidere. Iam verò etſi hos omnes eſſe neceſſarios ſuo modo fatentur: tamē hæc Papiſtarum ſententia eſt, ſolos prælatos maiores, hoc eſt, Epiſcopos atque Archiepiſcopos omnes in Concilijs vniverſalibus & particularibus habere ius ſuffragij deciſivi ordinariè, ſed Cardinales,

dinales, Abbates, & generales ordinum, licèt Episcopi non ſint, extraordinario privilegio poſſe ſuffragium etiam deciſivum ferre: reliquos omnes, quicunque fuerint, utiles eſſe, ſed non habere ſuffragium deciſivum. Et hanc eſſe omnium Catholicorum ſententiam patere ait Bellarminus ex perſonis quæ Concilio Tridentino interfuerunt, & ex Iohanne de Turre cremata, & ex aliis ſcriptoribus Catholicis.

Noſtra verò hæc ſententia eſt; non ſolos prælatos habere ius definiendi in Conciliis, ſed homines quoſvis idoneos eligi poſſe, qui ad Concilium mittantur, eoſque liberè pronunciare debere, ita tamen ut nihil indecorè, nihil turbulentè, nihil tumultuosè fiat, ſed omnia ordine gerantur; & eos eſſe audiendos, eorumque potiorem eſſe cauſam, qui ex Scripturis ſua poſſunt demonſtrare. Iam verò Bellarminus duas nobis opiniones objicit. Quarum *hæc vna* eſt, Cōcilium conſtare debere ex verè piis & electis. Atque hanc Brentij opinionem eſſe ait in Confeſſione Wittembergenſi, in capite de Conciliis. *Reſpondeo:* hanc opinionem nobis falsò tribui. Sic enim nulla Concilia unquam celebrabuntur. Quis enim novit, qui verè pij & electi ſunt? Nec hoc Brentius dicit. Verba eius aliter ſe habent, quemadmodum cuivis locum intuenti facilè patebit. Ait enim. *Etſi Eccleſia habeat certam promiſſionem perpetua præſentia Chriſti, & gubernetur à Spiritu Sancto: tamen non quivis hominum cœtus pro vera Eccleſia haberi poteſt. Et vt maximè*

multi

multi aliquoties in nomine Chriſti convenire videntur, tamen pauci ſunt electi, & non eſt omnium fides. Quod ille non eò dixit, vt ex ſolis electis Concilium conſtare debere probet, ſed vt doceat non ſemper gubernari Concilia à Spiritu ſancto, & non eſſe tam certæ authoritatis, quam Scripturas. Altera opinio eſt, ex omni hominum genere aliquos eſſe deligendos, qui ad Concilia mittantur, doctos nimirum & prudentes, & omnes debere eſſe iudices, & habere ſuffragium deciſivum. Atq; hanc Lutheri ſententiam eſſe ait in lib. de Concil. parte. 2. pag. 264. quo etiam loco ait illum affirmare, ex omnibus locis debere congregari ad 300. homines doctos in ſacra Scriptura, & hos efficere Concilium. Et ſic alios Proteſtantes ait ſentire: *Reſpondeo*: Lutheri verba aliter ſe habent. Ait etiam ille doctos homines eſſe deligendos, qui ad Concilia mittantur, & ſi ſit Concilium generale, ex omnibus partibus orbis mittendos eſſe aliquos, at non expectandum eſſe, dum omnes veniant, ſed ſufficere, ſi pauci adſint, ſatis eſſe ſi vel trecenti conveniant ſolidè docti & ſapientes, quos Eccleſiæ ſingularum provinciarum delegerunt, & ad hoc negotium idoneos iudicârunt. Quod ſanè verum eſt, & rectè ab illo dictum. Neq; enim neceſſe eſt, vt undiq; omnes conveniant, nec certè vitari confuſio poteſt, cùm nimis multi conveniunt. Sufficit vt vndiq; viri cordati adſint. Et hanc quidem ſententiam noſtram eſſe agnoſcimus, homines nimirum

mirum rerum divinarum & Ecclesiasticarum expertos, solertes, doctos, pios, disertos, graves, cordatos mittendos esse ad Concilia; hos parem debere authoritatem habere in suffragijs ferendis; Episcopos quidem esse mittendos, modò tales sint, quales esse debent, qui possint nempe sacras Scripturas dextrè tractare, & Adversarios refellere; sin ad hæc inepti fuerint, domi detinẽdos esse; denique si qui sint ex aliquo hominum genere docti & periti, eos etiam mittendos esse. Hæc nostra sententia est. Nunc ad disputationem veniamus.

CAPVT. 2.

In quo Adversariorum argumenta proponuntur, quibus probant solos prælatos habere ius ferendi suffragium decisivum in Concilijs.

BEllarminus quatuor argumentorũ genera adhibet. *Primum* illius argumentum sumitur ex authoritate Scripturæ, estq; huiusmodi. Definire in Concilijs ea, quæ sunt credenda, vel agenda, proprium est Pastorum munus. Nam pascere propriè est docere, & sic docere, vt alii teneantur credere. Id probatur ex Hierem. 3. *Dabo vobis Pastores secundùm cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina.* Et ex Ephes. 4. *Alios dedit Apostolos, alios Pastores, & Doctores.* Vbi notat Hieronymus (inquit) in hunc locum, & Augustinus Epist. 59. ad Paulinum, *Doctorem cum Pastore coniungi,* quia proprium est Pastorum docere. At Laici non sunt Pastores, nec

Ec-

Ecclesiastici quicunque, sed soli Episcopi. Hoc probat ex Act. 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei,* & ex Ioan. vlt. Vbi Petro dicitur, *pasce oves meas,* & ex ratione etiam. Si enim omnes laici (inquit) essent Pastores, ubi essent oves? Hoc primum eius argumentũ est. *Respondeo, 1:* Definire in Concilijs credenda & agenda, dupliciter capi potest. *Primò* enim significat per se statuere, & prescribere, quid sit à nobis fide suscipiendum, & opere præstãdum, sic vt nullì liceat reclamare, quantũvis ratione freto, nec cuiquam fas sit aliter credere, dicere, aut facere. *Secundò,* significat declarare hanc esse fidem Catholicam, hoc esse credendum, hoc esse agendum, quia Scripturæ authoritas ita credendum, & ita agendum esse docet, ac propterea, qui aliter credunt & faciunt, eos in errore esse. Et primo quidẽ modo dico Episcopos aut Pastores in Conciliis non posse aliquid definire, hoc enim ad Deum solum, & Christum, & Spiritum sanctum pertinere. Nihil possunt Episcopi in Concilijs præscribere, nisi ex Scripturis, nullam habent authoritatem, nisi quæ Scripturis subiecta sit. Sed Adversarii tribuunt Conciliis authoritatem definiendi, statuendi, præcribendi etiam ea, quæ apertè ex Scripturis improbari possunt. Ita summam illis & supremam authoritatem tribuunt, præsertim si Pontifex Romanus adfuerit, & nullî licere reclamare affirmãt, sed quęcũq; ab iis præscripta fuerint

& à Romano Pontifice confirmata, ea rata esse debere, & ab omnibus esse admittenda, nec à quoquam examinari oportere. Quam certè authoritatem tyrannicam esse, & Antichristianam constat. 2.*Respondeo*: Si definire secundo modo sumatur, quemadmodum necessariò sumēdum est, non esse Pastorum tantùm munus, hoc est, Episcoporum, hoc modo in Concilijs definire. Nam Pastorum munus est, salutari vitæ pabulo, hoc est, verbo Dei, populum Dei pascere, & Sacramenta rectè administrare. At hic non est finis Concilij generalis, sed si hæresis aliqua orta fuerit, eam tollere: aut si abusus aliquis egregius in Ecclesiam irrepserit, eundem corrigere: aut si negotia aliqua inciderint, quæ totam Ecclesiam attingant, de ijsdem deliberare. Atque hoc Bellarminus ipse antea confessus est. Nam causas sex assignavit, propter quas Concilia congreganda sunt, quarum prima est nova hæresis. Sed hanc forsan dicet ad Episcoporum definitionem pertinere. At non soli Episcopi de hæresi possunt iudicare, sed alij etiam Christiani Scripturarū periti possunt ex verbo Dei declarare, hunc aut illum hominem esse hæreticum, & hanc aut illam doctrinam hæreticam esse. Non est ergo hæc Episcoporum tantùm provincia, sed ad alios etiam homines, qui Scripturarū periti sunt, pertinet. Reliquæ verò quinq; causæ non requirūt Episcopos, nempe, schisma inter Episcopos Romanos, resistentia communi hosti, suspicio hæreseos in Papa,

Papa, dubitatio de electione Romani Pōtificis, reformatio generalis abuſuū. Hæc omnia ab ijs qui non ſunt Epiſcopi geri poſſunt, vt harū rerum definitio non illis ſolis ſit neceſſariò relinquenda. Sed ſi illud ſit propriū Concilij munus, vt paſcat, cùm Paſtor & grex ſint relatiua, quęro quis ſit grex huius Paſtoris. Si dicant totam Eccleſiam eſſe gregem, tum duo ſimul erunt Oecumenici Paſtores, Pontifex Romanus ſcilicet, & Concilium; nam Pontifex vnus Paſtor eſſe vult. Et tum etiam ipſi Epiſcopi erunt ſibi ipſis Paſtores. At verò finis Conciliorum non eſt paſcere, ſed lites dirimere, Canones præſcribere, abuſus corrigere, Eccleſias componere, aliaque facere quæ ad pacatum & tranquillum Eccleſiæ ſtatum pertinent. Hæc verò omnia ab ijs fieri poſſunt, qui ſunt in ordine laicorum. Ita ex ipſo Bellarmino conſtare poteſt, Epiſcopos ſolos non requiri neceſſariò ad definiendum aliquid in Concilijs. Prima enim cauſa celebrandi Concilia ab illo propoſita hoc non requirit, vt antea probatum eſt, quinque verò reliquæ multò minùs, quæ ſunt huiuſmodi, vt ab alijs præter Epiſcopos procurari & admininiſtrari poſſint. 3. Paſcere aliquo modo idem eſſe quod docere, non negatur. At Concilia non ideo congregantur vt paſcant aut doceant, ſic vt proprij Paſtores, ſed vt diſpiciant & conſultent, quid ad Eccleſiæ ſalutem faciat. Concilia enim extraordinariè congregantur propter cauſas extraordinarias;

rias;at docere est ordinarium officium Pastoris. Quanquam si omnes Pastores doceant,non tamen sequitur idem esse Pastorum & Doctorũ munus. 4. Quòd affirmat solos Episcopos Pastores esse, idque probat ex Act. 20; egregiè Scripturâ abutitur. Nam illi Episcopi non erant tales,quales hodie sunt Episcopi Pontificij. Erãt enim omnes, Episcopi vnius civitatis : at plures vnius civitatis Episcopos esse prohibent Canones Romani. Prӕterea ijdem vers. 17. eiusdem capitis πρεσβύτεροι vocantur. Vnde hic locus vel maximè cõtra ipsum facit. Nam si omnes, quorum est pascere, habeant ius definiendi in Concilijs,tum Presbyteri habent,quia vers. 18. huius capitis Episcopi vocantur,atque etiam ποιμαίνειν iubentur. At illi volunt tantùm prӕlatos maiores hoc ius habere. *5. Respondeo*,neminem nostrûm vnquam dixisse, omnes Christianos esse Pastores. Fatemur enim alios Pastores esse,alios esse oves:sed ad Cõcilia, vbi de fide fit inquisitio,non modò Pastores, sed & alios etiam,qui ad inquirendum apti sunt, convenire oportere contendimus. Atque hӕc de primo argumento dixisse sufficiat.

Venio nunc ad *secundum* argumentum, quod positum est totum in testimonijs veterum. Prima Concilia (inquit) in Ecclesia celebrata, fuerunt tempore Victoris Papӕ, de quӕstione Paschatis. De ijs Eusebius lib. 5. hist. cap. 23. sic scribit. *Ob quam causam conventus Episcoporum, & Concilia per singulas quasque*

pro-

provincias convocantur. Σύνοδοι δὲ καὶ συγκροτήσεις ἐπισκόπων κατὰ ταὐτὸν ἐγίνοντο. . Ex quo concludit Episcoporum tantùm esse, in Concilijs definire. *Respondeo 1:* fuisse antiquius Concilium illis, de quibus scribit Eusebius, & quorum meminit Bellarminus, illud nempe Hierosolymitanum, de quo fit mentio Act. 15. cui Concilio non tantùm Apostoli interfuerunt, verum etiam Presbyteri, & tota Ecclesia. *2. Respondeo:* dictos esse vulgò Episcopos eo tempore, singulos singularum Ecclesiarum Pastores & Presbyteros, ex more & consuetudine Scripturarum, vt Philip. 1. 1. *σὺν ἐπισκόποις καὶ διακόνοις*. Vbi Apostolus multos vnius Ecclesiæ Episcopos commemorat, quod Canones Romani non permittunt. Ergo per Concilia Episcoporum, intelligit Eusebius Concilia Presbyterorum. Deinde cumulat Adversarius multa Patrum testimonia, quorum verba non refert, sed loca tantùm citat. Nominat verò Cyprian. in Epist. ad Iulian. in initio, Hilar. in lib. de synodis, Ambrosium in Epist. 32. Hieron. in lib. 2. Apolog. contra Ruffin. Augustin. in Epist. 119. Leonem in Epist. 16. & sequentibus, Ruffin. lib. 10. hist. cap. 1. Athanas. in Epist. ad solitariam vitam agentes. Hos Patres ait in locis citatis, & alios nonnullos passim asserere, Concilia Episcoporum esse: Ergo Episcoporum tantùm est in Concilijs definire. *Respondeo:* hæc esse supervacanea. Fatemur olim dicta fuisse Episcoporum Concilia, vt distinguerentur à

Concilijs Politicis, quia aderant plerique Episcopi, & in illis causæ plerumque Episcoporum agebantur, & quia illi maxime idonei erant, qui huiusmodi causas tractarent, non quòd nulli alij præter Episcopos definiendi authoritatem habuerunt. Ergo ista testimonia haud necessaria sunt. Subiungit deinceps aliud testimonium ex Concilio Ephesino, quod habitum est sub Theodosio iuniore. In illius Concilij cap. 32. in Epistola Theodosij ad Concilium hæc verba habentur. *Illicitum est eum, qui non sit in ordine sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus. Respondeo:* Quid? num laicis, & iis qui non sunt Episcopi, nihil Ecclesiasticum tractare fas est? at omnes pij Imperatores tractarunt; num Ecclesiasticis tractatibus interesse non licet? at interfuerunt multi. Et quanquam Imperator ipse Theodosius Concilio Ephesino non interfuit, tamen Candidianum misit, qui interfuit, quique Imperatorem subinde certiorē fecit, quid actum esset. Et Martianus Imperator interfuit Concilio Chalcedonensi, nec ipse modò, sed & senatores. Quare aut ficta est hæc sententia, aut non sic intelligenda, quemadmodum vult Adversarius. Sed videtur ficta esse, quia non habetur in antiquis exemplaribus, & quia Ecclesiæ primitivæ consuetudini adversatur. Nam Imperatores semper aut interfuerunt Concilijs ipsi, aut Legatos suos miserunt. Et ex hoc ipso Concilio manifestum est, Theodosium sese Ecclesiasticis immiscuisse tra-

ctatibus,in Epiſtola illius ad Concilium. Pronunciat enim omnia,quæ hactenus fecerant,eſſe irrita,quia per contentionem omnia geſta fuiſſent,& iubet omnia pacificè examinare. Num hic illicitum exiſtimavit, negotijs Eccleſiaſticis ſeſe immiſcere? Præterea, quòd ait Pulcheriam Imperatricem in Epiſtola quæ habetur ante Concilium Chalcedónenſe, iuſſiſſe vt Clerici, Monachi,& Laici, etiam vi à Concilio repellerentur; *Reſpondeo*: illos meritò repulſos eſſe, ne turbarum nimium eſſet, quia favebant Dioſcoro & Eutycheti hæreticis. Affert deinde ex eodem Concilio actione 1. cùm ad Martinum Archimandritam Monachorum patrem mitteretur, vt ſubſcriberet, illum reſpondiſſe, non eſſe ſuum, ſed Epiſcoporum tantùm ſubſcribere. *Reſpondeo*: Quòd miſerunt ad eum Epiſcopi, vt ſubſcriberet, hoc arguit non Epiſcoporum tantùm hoc fuiſſe. Recuſabat verò ille ſubſcribere, vel quia non putabat ſuum eſſe, vel quòd eſſet hæreticus, & Epiſcoporum cauſæ non faveret. Vltimo loco ait, cùm Monachi & Laici in idem Concilium ingreſſi eſſent, Patres ſæpius clamâſſe, *Mitte foras ſuperfluos, Concilium Epiſcoporum eſt. Reſpondeo 1.* Monachos de iure non intereſſe Concilijs, niſi fuerint electi. Et illi Monachi non erant in vllo ordine Eccleſiaſtico. *2. Reſpondeo*: eo tempore invaluiſſe hunc morem, vt nulli præter Epiſcopos Concilijs intereſſent, quia illi ſoli idonei videban-

debantur, qui intereſſent, quique res Eccleſiaſticas tractarent. At non ſic ab initio fuit.

Tertium Bellarmini argumentum ſumitur ex Concilijs hactenus in Eccleſia celebratis. Omnium Conciliorum decreta (inquit) à ſolis Epiſcopis facta eſſe, patet ex ſubſcriptionibus. Soli enim Epiſcopi ſubſcripſerunt. *Reſpondeo:* hoc falſiſſimum eſſe. Nam & Imperatores, & Abbates, & Presbyteri ſubſcripſerunt, vt poſtea docebimus, cùm ad noſtra argumenta ventum fuerit. Vbi etiam illam diſtinctionem de ſubſcriptione definitionis & conſenſionis diluemus. Nam oſtendemus illos etiam definitivè ſubſcripſiſſe.

Quartum Bellarmini argumētum in ratiunculis quibuſdam poſitum eſt, quæ numero quinque ſunt. *PRIMA* hæc eſt. Negotia Eccleſiaſtica & publica à perſonis tantùm Eccleſiaſticis & publicis tractari debent: at tales ſunt ſoli Epiſcopi: ergo &c. *Reſpondeo 1:* Quid? an nullæ ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, niſi Epiſcopi? Quid ergo de Presbyteris, Diaconis, Abbatibus, Monachis, & Clericis reliquis ſtatuemus? Quid de Cardinalibus, qui non ſunt Epiſcopi? Sed perſona Eccleſiaſtica dupliciter accipitur. *Primò*, pro membro Eccleſiæ, & ſic omnes Chriſtiani ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ. *Secundò*, pro eo, qui munere aliquo, & miniſterio Eccleſiaſtico fungitur. Neutro modo ſunt ſoli Epiſcopi perſonæ Eccleſiaſticę.

2. Re-

2. *Respondeo:* Tractare causas Ecclesiasticas, est negotium Ecclesiasticum; sed hoc eiusmodi est, quod possit ab aliis quàm Episcopis fieri. Est enim inquirere & dispicere de veritate alicuius quęstionis, & Ecclesię saluti ac trãquillitati providere: at hæc non ab Episcopis tantùm fieri possunt, verumetiam ab aliis, qui sunt docti, pij, & Scripturarum periti, qui sunt scientia, gravitate, fide, & pietate prædití, aliisque donis huiusmodi, quæ in causis tanti momenti requiruntur. *SECVNDA* ratio hæc est. Si omnes docti admitti deberent, tum aut nulla unquam Concilia essent, quia vix omnes docti possent cõvocari, aut esset impossibile tale Cõcilium regere propter nimiam multitudinem. *Respondeo:* Somniare hoc potiùs est, quàm disputare. Nunquam hoc factum est, nunquam nos fieri postulavimus. Non omnes doctos promiscuè ad Concilia convocari volumus, sed ex singulis provincijs seligendos esse aliquos, quos Ecclesia maximè aptos & idoneos iudicaverit. Non erit difficile hos in officio continere. Nam cùm convenerint, moderator aliquis est eligendus, qua de re postea dicendum erit. Ita neutrũ horum incommodorum eveniet, quorum mentionem facit Adversarius. Non enim volumus Cõcilium esse quasi cætum Cyclôpum, de quo illud verè dicatur, *ἀκούει δὲ οὐδεὶς οὐδὲν οὐδενός*, sed volumus esse à certis quibusdã viris gubernatũ, qui ad illud munus maximè idonei videbũtur. *TERTIA* ratio est, quia tum plures essent in Concilio

lio inferiores, quàm superiores, ac proinde tunc verè vinceret maior sententia meliorem. *Respondeo:* hæc quidem incommoda secutura esse, si id fieret, quod fingit Adversarius, hoc est, si fas esset cuivis homini arroganti & loquaci sese in Cōcilia ingerere, iisque temerè se immiscere, & sine ordine pro libito & arbitrio suo loqui. Sed non debet quisquam in Concilium admitti, nec verba facere in Concilio, nisi qui ab Ecclesia delectus, & designatus fuerit. Nos enim, qui cum Episcopis laicos & doctos viros non Episcopos, in Conciliis coniungi volumus, non ἀταξίαν tamen introducendam esse unquam cogitavimus. Non vult Adversarius quæstionis statum intelligere, quia non potest aptè infringere, sed monstra quædam opinionum sibi fingit, & tum eadem pulcherrimis rationibus oppugnat. *QVARTA* ratio est, quia tunc facilè posset unus Princeps, in cuius regione Concilium esset, quicquid vellet definire, quia posset omnes Presbyteros & doctos homines suę provinciæ colligere, & in Concilium introducere, quod non possent alij Principes, qui longè abessent. *Resp:* Hoc facit cōtra Adversarios. Hęc enim ratio non minùs valet contra Episcopos, quàm contra Presbyteros & doctos viros, quia eodē modo posset Princeps ille Episcopos omnes suę provincię colligere, & in Cōciliū introducere, eosque ad suas partes trahere, & facere, vt ita illi faveant, ut quidvis possit obtinere. Et hic quidem Papæ mos est. Solet enim ille in lo-

co,

eo, quem sibi novit addictissimum esse, Concilia congregare, & homines etiam sibi addictissimos ad hæc Concilia vndecunque convocare, ut sic multitudine semper vincat. *QVINTA* ratio hæc est. Nulla est Respublica, quæ non habeat ordinem aliquē in comitiis, docente etiam ratione naturali, ita ut non quivis de plebe, sed principes tantùm, & capita cæterorum, locum & suffragium habeant: ergo similiter Ecclesia in Concilijs generalibus facere debet. *Respondeo:* Et nos quoque ordinem in Concilijs requirimus, & multò maiorem cautionem in synodis Ecclesiasticis, quàm in comitijs politicis adhibendam esse dicimus. Non enim permittimus cuivis in Cōcilium involare, & disputationibus suis omnia perturbare, sed moderatores esse volumus, qui dent operam, ut ordo servetur, & ut legitimè omnia fiant.

Bellarminus deinceps cap. 17. huius libri quęstionem proponit de numero Episcoporum, qui Conciliis interesse debent. Quærit enim, quot Episcopi ad generale Concilium requirantur. Et hæc quidem quæstio ex priori sequi videtur. Si enim Episcopi soli Conciliis interesse debent, quod ille affirmat, tum aut omnes Episcopi convenire debent, aut aliqui tantùm. Si omnes, tum nullum adhuc fuit generale Concilium, neque etiam videtur deinceps futurum. At hoc absurdum. Si ergo satis sit aliquos convenire, quæritur quàm multi requirantur. Bellarminus respondet hanc quæstionem non posse

posse meliùs solvi, quàm ex consuetudine Ecclesiæ. Ita nullam ille certiorem regulam habet, quàm Ecclesiæ consuetudinem. Quam ille quidem ad quatuor conditiones revocat atque reducit. *Prima* conditio est, ut evocatio Episcoporum sit generalis, ita ut innotescat omnibus, saltem maioribus Christianis provincijs. Omnes generali edicto vocari debent. *Secunda* est, ut nullus Episcopus excludatur, undecunque venerit, modò constet eum esse Episcopum, & non excommunicatum. *Tertia* est, ut adsint per se, vel per alios, quatuor Patriarchæ præcipui præter summum Pontificem. Sed hanc conditionē nunc non esse necessariam concedit, quia nunc (inquit) aut hæretici sunt, aut certè schismatici. Præclarè. Ergo hæc conditio est nullius momenti. *Quarta* est, ut saltem ex maiori parte Christianarum provinciarum aliqui adveniant. Non opus est, ut in istis conditionibus excutiendis laboremus, aut sermonem aliquem longum de illis instituamus, quia eas non magnopere improbamus.

CAPVT 3.

In quo nostra argumenta proponuntur & corroborantur, quibus probamus non solos Episcopos habere suffragium definitivum in Concilijs.

SEquitur nunc, ut nostram sententiam certis quibusdam argumentis demonstremus. *Primum* nostrum argumentum nititur authoritate Scrip-

Scripturarum. Actorum 15. 6. (quem locum nos tractamus) ſic legimus. Συνήχθησαν δὲ οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἰδεῖν περὶ τοῦ λόγου τούτου. *Convenerunt Apoſtoli & Presbyteri, ut de hac re diſpicerent.* Præterea in eodem capite verſ. 22. ſic ſcribitur. τότε ἔδοξε τοῖς ἀποστόλοις καὶ τοῖς πρεσβυτέροις σὺν ὅλῃ τῇ ἐκκλησίᾳ. *Tunc viſum eſt Apoſtolis & Presbyteris cum tota Eccleſia.* Ex his locis manifeſtum eſt, non modò Apoſtolos, verumetiam Presbyteros, atque adeò populum ipſum, & univerſam Eccleſiam, in hoc Concilio adfuiſſe, & ſuffragium definitivum habuiſſe. Et hoc quidem primum fuit & ſanctiſſimum in Eccleſia Concilium, cui non interfuerunt modò, verumetiam præfuerunt Apoſtoli ipſi. Hoc ergo reliquorum omnium norma eſſe debet, huic reliqua omnia ſimilia eſſe oportet. Bellarminus concedit populum adfuiſſe, ſed reſpondet Apoſtolos interfuiſſe, ut iudices, ad definiendum, Presbyteros, tanquam inquiſitores ſcilicet, ad conſultandum, plebem verò non vocatam eſſe, ſed veniſſe tamen, & tantùm audiviſſe, & conſenſiſſe, nõ definiiſſe, aut diſputâſſe. Sic tenemus quid reſpondeat Adverſarius, Apoſtolos iudicâſſe, Presbyteros conſultâſse, populum audiviſse tantùm & non reclamâſſe, nihil præterea aliud feciſſe, & veniſſe non vocatam. Nunc iſtam reſponſionem examinemus & diluamus. *Reſp.* igitur 1. Quòd Apoſtolis iudicandi partes tribuit, agnoſcimus, & amplectimur. Iudicârunt illi ſiquidem, ſed ex Scripturis. Quòd verò has

partes

partes Presbyteris & populo detrahit, id quidē reiicimus. Neq; enim id ex Scripturis probat, aut probare vllo modo poteſt. Nam ſi hiſtoriam ipſam conſulamus, nihil inveniemus, quò minus, ſi non populum, at ſaltem Presbyteros vnà cum Apoſtolis diſputâſſe & dijudicâſſe existimemus. Nam primò quæſtio ipſa ad omnes delata eſt, verſ. 2: quorſum quæſo, ſi illorum nō fuit de cauſa cognoſcere, & definire? Et verſ. 6. legimus conveniſſe ad hoc Concilium non Apoſtolos modò, verumetiam Presbyteros, & quidem ſimiliter omnes, ἰδεῖν περὶ τοῦ λόγου τούτου, *vt diſquirerent, diſpicerent, diſceptarent hac de re.* Eadem ergo cauſa fuit Apoſtolis & Presbyteris ad hoc Concilium conveniendi, ſcilicet vt de illa, quæ orta erat, controverſia iudicarent, & aliquid conſtituerent. Si ergo reſpondeant Presbyteros inquirendi tantùm authoritatem habuiſſe, non iudicandi, hoc modo Apoſtolis etiam ipſis iudicandi partes detrahunt. Nam eadē fuit vtriſq; conveniendi cauſa. Sed vt totam iſtam controverſiam dirimamus, inſpiciamus (quæſo) Act. 16. 4, ubi legimus Paulum civitatibus illis, per quas tranſibat, tradidiſſe τὰ δόγματα τὰ κεκριμένα ὑπὸ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν πρεσβυτέρων τῶν ἐν Ἱερουσαλήμ, hoc eſt, *inſtituta illa, quæ decreta fuerāt ab Apoſtolis & Presbyteris, qui erāt Hieroſolymis.* Quis nunc negare audet Presbyteros quoq; habuiſſe ſuffragium deciſivum? Non tantùm diſputabant aut conſultabant, verumetiam iudicabant & decernebant vnà cum Apoſtolis. Nam

vocabu-

vocabulum (χειροτονία) ad utrosq; ex æquo accommodatur. Hæc tam aperta sunt, vt nemo refragari possit. 2. *Respondeo*: Quòd consultandi tantùm & disputandi partes Presbyteris tribuit, ineptum planè est; & nulla ratione nititur. Quid enim Apostolis opus fuit huiusmodi cõsultoribus, aut disputatoribus? Nôrant ipsi satis per se disputare & consultare. Quapropter si nullum aliud illorum munus fuit, nisi ut consultarent aut disputarent, non valde opus fuit, ut illi præsentibus & congregatis Apostolis convenirent. Sed quia visum est Apostolis, vt hæc quæstio ad totam Ecclesiam deferretur, & omnium suffragiis approbaretur, vt eo modo Ecclesiæ paci meliùs consuleretur: ideo Presbyteros & plebem etiam congregari voluerunt, vt cùm totius Ecclesiæ consensu ex verbo Dei definitum esset, circumcisionem & reliquas Mosaicas ceremonias abrogatas esse, omnes in ea definitione acquiescerent In hoc ergo Concilio quivis laicus & Presbyter definitivum suffragium habuit, non minùs quàm Petrus. 3. *Respondeo*: Quòd ait plebem venisse non vocatam, absurdum id certè est. Nam præterquam quòd sine authoritate Scripturæ illud dicitur, pugnat certè cum decoro & εὐταξίᾳ, vt quisquam non vocatus accedat, & sese in Concilium ingerat. Nulli licere debet temerè sese in huiusmodi cætus ingerere: ergo dubitandum non est plebem hoc tempore vocatam fuisse. Præterea ex Act. 6.2. constat solitos esse Apostolos totam Eccle-

ſiam convocare. Sic enim legimus in illo loco, προσκαλεσάμενοι δὲ οἱ δώδεκα τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν, εἶπον. Ergo dubitari non poteſt, eos ſimiliter hoc tempore feciſſe, quia hæc cauſa ſimiliter totam Eccleſiam attingebat. Quare inſulſum illud eſt, quod ait, plebem non vocatam veniſſe. Cōſtat enim non modò interfuiſſe vocatam, verumetiam ſuffragia tuliſſe, ut cauſa poſtulabat.

4. *Reſpondeo:* Quòd ait plebem adfuiſſe tantùm, audiviſſe, & tacuiſſe, nihil dixiſſe; falſum commentum eſt. Pugnat enim hoc cum aperta Scripturæ authoritate. Nam primò conſtat, eos ex plebe fuiſſe, qui authores huius quæſtionis fuerunt, non Apoſtolos, non Presbyteros. Nam verſu 1. dicuntur τίνες, & verſ. 5. dicuntur fuiſſe ex ſecta Phariſæorum, qui crediderunt. Et hos verſ. 7. diſceptâſſe legimus. Sic enim ſcribit Lucas. πολλῆς δὲ συζητήσεως γενομένης, *Cum fuiſſet diſceptatio multa*. Iſti homines qui diſceptârunt, quicunque tandem fuerunt, non Presbyteri, multò minùs Apoſtoli fuerunt. Ergo falſum eſt, quod affirmat Adverſarius, plebem tacuiſſe, nullum verbum dixiſſe. Præterea verſ. 12. ſic ſcribitur, ἐσίγησε δὲ πᾶν τὸ πλῆθος. *Tacuit tota multitudo.* Vnde conſtat totam populi multitudinem antea locutam eſſe, non promiſcuè quidem, ſed prout cuiuſque ordo poſtulabat. Præterea ex verſ. 22. manifeſtum eſt, aliquam fuiſſe vocem & ſententiam populi. τότε ἔδοξε τοῖς ἀποστόλοις καὶ τοῖς πρεσβυτέροις σὺν ὅλῃ τῇ ἐκκλησίᾳ. *Tunc viſum eſt Apoſtolis & Presbyteris cum tota Eccleſia.*

sia. Ergo Ecclesia reliqua non tacuit, sed suam sententiam interposuit. Visum est non modò Apostolis, verumetiam Presbyteris, nec illis tãtùm, verumetiam ὅλῃ τῇ ἐκκλησίᾳ, *toti Ecclesiæ*. Et vers. 23. legimus, missas fuisse literas nomine Apostolorum, Presbyterorum, & fratrum. οἱ ἀπόστολοι, καὶ οἱ πρεσβύτεροι, καὶ οἱ ἀδελφοὶ τοῖς κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ Συρίαν, καὶ Κιλικίαν ἀδελφοῖς τοῖς ἐξ ἐθνῶν, χαίρειν. *Apostoli, Presbyteri, & fratres, ijs qui sunt Antiochiæ, & in Syria, & in Ciliciæ fratribus, salutem.* Ergo dogma hoc fuit omnium sententiis comprobatum. Vnde intelligimus, alias fuisse populi, quàm silendi partes. Sententias enim dixerunt, & subscripserunt. Quare Æneas Sylvius in lib. 1. de Concilio Basiliensi ait. *Visum est Spiritui sancto & nobis. Vnde apparet* (inquit) *alios quàm Episcopos in Concilijs habuisse vocem decidentem.* Sed Adversarij rationes excutiamus, & paulisper perpendamus, quibus ille suam sententiam confirmat. *Primò*, probat plebem non definivisse, quia hæc consuetudo Ecclesiæ subsequentis semper fuit, ut soli Episcopi iudices essent, & hæc consuetudo (inquit) est optima interpres Scripturarum. *Respondeo 1.* Id non constat ex hoc loco. Nam idem fecerunt Presbyteri, quod Apostoli, ex verbis Lucæ. Eędem partes fuerunt, idemq; munus Presbyterorum & Apostolorum. Ergo si disputârunt Presbyteri, disputârunt etiam Apostoli, si definierunt Apostoli, definierunt etiam Presbyteri. *Respondeo 2.* Consuetudo semper habita est pessima

Scripturarum interpres, à Tertulliano, à Cypriano,& ab Augustino, at ab Adversariis nostris optima interpres habetur. Ita illi cum Patribus non consentiunt. 3. Non solos Episcopos iudices fuisse in Concilijs, aut definiendi authoritatem habuisse, nos mox ostendemus. *Secundò*, probat plebem nõ fuisse vocatam, quia ver. 6. convenisse dicuntur Apostoli & Presbyteri, vbi nulla fit mentio plebis. *Respondeo 1.* Si quia non dicitur plebs vocata apud Lucam, ideo non vocata fuit, tum illud etiam sequetur, ne Adversarios quidem illos, qui hanc litem excitârunt, vocatos fuisse. Nam hoc non legitur apud Lucam. Tamen quis dubitat, quin vocati fuerunt. Non ergo sequitur, non vocatam fuisse plebem, quia hoc non disertè affirmat Lucas. Sed hoc ex Act. 6. 2. probari potest. προσκαλε-
σάμενοι δὲ οἱ δώδεκα τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν, εἶπον. Vnde intelligimus hunc fuisse morem Apostolorum, ut in causis communibus totam Ecclesiam convocarent. Quando hoc semel ab Apostolis factum fuisse scribitur, non necesse fuit hîc denuò repetere. 2. Si quia non vocata plebs fuit, hinc sequatur eam non habuisse suffragium decisivum; tum sequetur Presbyteros habuisse, quia illi vocati sunt. Et hoc facit contra Adversarios. *Tertiò*, probat solos Apostolos dixisse sententias definitivas, quia soli Petrus, Paulus, Iacobus, Barnabas introducuntur à Luca loquentes, qui Apostoli fuerunt; populus vero tacuisse dicitur. *Respondeo 1:* Ipsi concedunt

cedunt Presbyteris partes disceptandi & consultandi, ergo alios præter Apostolos locutos fuisse in illo Concilio constat. *2.* Si hæc ratio Adversarij valet, tum illi quatuor soli, quos ipse nominat, sententias definitivas habuerunt. At id, opinor, non dicet. Quid enim tum de reliquis Apostolis fiet? An illi nullam definiendi aut decernendi authoritatem habuerunt? Præterea si locum inspiciamus, alios etiam verba fecisse intelligemus præter Apostolos, etsi non commemorat Lucas, quid quisque dixerit; neque enim hoc fieri necesse fuit. Nam dicit Lucas. *Tunc visum est Apostolis, Presbyteris, & toti Ecclesiæ.* Et vers. 12. *Silebat tota multitudo.* Nònne hæc apertè indicant, multitudinem priùs sententias suas dixisse? *3.* Hæc quæ isti Apostoli locuti esse dicuntur, ad disputationẽ & disceptationem, non ad iudicium aut definitionem pertinebant. Nam cùm illi perorâssent, tum demum decretum & definitum est vers. 22. τότε ἔδοξε &c. ubi definitio est totius Ecclesiæ. Etsi enim in Concilio non omnes loqui possunt, aut debent; tamen sententiam veram sequi debent, & suis suffragijs comprobare. *4.* Cùm Bellarminus quatuor hominum genera ait ad Concilia convenire, quosdam, ut iudicent, alios, ut disputent, nonnullos, ut defendant Concilium, & aliquos, ut ministrent; Presbyteri & plebs non propter aliquam ex tribus postremis causis ad hoc Concilium convenerunt: ergo propter primam; non quòd Apostoli non sufficerent, sed

vt sic meliùs & Ecclesiæ paci consuleretur, & hominum desiderijs satisfieret. Atque hæc de primo nostro argumento dixisse sufficiat. Accedo nunc ad secundum.

Secundum nostrum argumētum sic se habet. Concilium generale vniversam Ecclesiam repræsentat: ergo ibi esse debent quidam ex omni genere & ordine hominum. Hoc argumentum nobis tribuit Adversarius, cuius tamen sit non intelligo. Sed videamus, quid ipse respondeat. Respondet ille, Episcopos repræsentare totam Ecclesiam, quia vnusquisque sustinet & gerit personam suæ Ecclesiæ, ac proinde non opus esse, vt alij conveniant. *Respondeo 1*: Si singuli Episcopi singulas Ecclesias repræsentant, tum Romanus Episcopus totam repræsentat Ecclesiam, quia se Episcopum Catholicæ Ecclesiæ vocat. Ita non opus est, vt multi Episcopi conveniant: sufficit, si ille solus adfuerit. Potest ille solus Concilium generale indicere, habere, celebrare, quia ipse se vocari vult Episcopum vniversalem totius Ecclesiæ Catholicæ. Et hic optimus repræsentandi modus est, vt ait Bellarminus, cùm per Principes repræsentantur populi. 2. Quid si Episcopi fuerint hæretici? vt olim omnes pręter vnum aut alterum Ariani fuerūt, num illi totam Ecclesiam in Concilio repręsentabunt? num illorum definitio stabit? tum vniversam Ecclesiam hereticam esse sequetur: nam imago similis esse debet rei, cuius est imago. Num Episcopi in Ariminensi Concilio congre-

gregati totam Ecclesiam repræsentârunt? tum certè tota Ecclesia Ariana fuit. At nisi Episcopus electus & designatus fuerit ab Ecclesia, vt eat ad Concilium, non potest Ecclesiam repræsentare. 3. Quemadmodum in comitijs civilibus non semper magistratus pro civitate mittitur, sed aliquando alius aliquis, qui & ipse etiam civitatis personam gerit: sic non Episcopi tantùm ab Ecclesia eligendi sunt, qui ad Concilia mittantur, sed alij pij, solertes, & docti viri, qui forsan peritiùs disputare, & in quæstiones controversas meliùs inquirere possunt, quàm Episcopi. Quisquis verò ab Ecclesia mittitur, is Ecclesiæ personam repræsentat. Et de hoc quidem argumento plura non addemus.

Tertium & postremum nostrum in hac causa argumentum sequitur, quod in testimonijs, exemplis, & historijs antiquis positum est, estque huiusmodi. Principes, Presbyteri, Senatores, Iudices, alijque homines laici, Concilijs sacris & Ecclesiasticis non interfuerunt modò, verumetiam sententias dixerunt, subscripserunt, definiverunt: ergo soli Episcopi suffragium in Concilijs decisivum non habent. Respondet Bellarminus adhibita distinctione; interfuisse quidem, & subscripsisse, sed consentiendo, non definiendo: solos Episcopos fuisse iudices, & definijsse, & ob eam causam aliter subscripsisse Episcopos, aliter alios. Episcopos in hunc modum, *Ego Augustinus Episcopus definiens subscripsi.* Principes verò, Presbyteros, & alios sic. *Ego N.N.*

Princeps vel Presbyter consentiens subscripsi. *Respondeo 1*: hanc distinctionem nulla aut Scripturæ, aut sinceræ antiquitatis authoritate probari posse. Nam quicunq; authoritate legitima muniti ad Concilia venerunt, ij suffragium definitivum habuerunt. Olim subscribere idem erat, quod consentire, & definire, & qui consenserũt, ij etiam definierunt, & è contrâ: nullum discrimen fuit. Postea inventus est in scirpo nodus, vt definiendi authoritas solis Episcopis tribueretur. Possumus enim ex antiquitatis monumẽtis & ex veterum testimonijs evincere, Episcopos cõsentientes, & laicos definientes subscripsisse. In Concilio Chalcedonensi, actione 1. sic legimus. *Ego Dorotheus Episcopus consensi, & subscripsi.* Marius Victorinus in lib. 2. cõtra Arianos ait, Nicænæ fidei multa Episcoporum millia consensisse. Socrates lib. 1. cap. 8. de Eusebio Episcopo Cæsariensi scribit, cum interfuisse Concilio Nicæno, & primò hæsitâsse, sed postea consensisse & subscripsisse. Vnde intelligimus, quid de Eusebio sentiendum sit. Quidam Arianum fuisse suspicantur. Socratis hæc verba sunt. Eusebius Pamphili suscepit Nicænam fidem, ἅμα τοῖς πολλοῖς συνθέμενος ἐν τε καὶ συνυπέγραψε. *Vnà cum reliquis vniversis eam & approbavit & subscriptione ratam fecit.* Atque hæc forma subscriptionis sæpe Episcopis in Concilijs tribuitur. Eusebius lib. 3. de vita Constantini sic scribit. ἐκυροῦτο δὲ ἤδη καὶ ἐν γραφῇ δι' ὑποσημειώσεως ἑκάστου τὰ κοινῇ δεδογμένα. *Iam verò quæ erant omnium*

com-

communi sententia decreta, cuiusque manu subscripta fuerunt & in commentarios relata. Hucusque ostendimus Episcopos subscripsisse consentientes: iam ostendemus alios præter Episcopos subscripsisse definientes. Constantinus Imperator Concilio Nicæno interfuit, vt testatur Eusebius lib. 3. de vita Constantini, vbi sic loquitur Constantinus. *Ego vobiscum interfui, tanquam vnus ex vobis*. Sed forsan tacuit, & nihil dixit aut fecit in Concilio. Imò idem Eusebius lib. 2. eum sic loquentem introducit. *Ego suscepi & perfeci res salutares, persuasus verbo tuo.* Sed forsan res illæ salutares non erant Ecclesiasticæ, aut ad religionem pertinentes. At hoc constat ex Socrate lib. 1. cap. 9. Vbi sic eum loquentem introducit Socrates. καὶ αὐτὸς τὴν τῆς ἀληθείας ἐξέτασιν ἀνεδεξάμην. *Et ipse veritatis disquisitionem, sive disceptationem suscepi.* Hoc ergo ad suum munus & officium pertinere putabat, vt de quæstionibus propositis disceptaret, & veritatem inquireret. Quorsum tandem? nisi vt sententiam suam cum reliquis diceret, & pronunciaret. Et Eusebius lib. 3. de vita Constantini ait, Constãtinum circumspexisse ὄμματι βασιλικῷ, ne quæ erroris reliquiæ superessent. Sozomen. lib. 4. cap. 16. scribit Imperatorem iussisse, vt Episcopi decem Orientis, & decem similiter Occidentis ad Aulam veniant, quos synodus designasset, ὥστε καὶ αὐτὸν συνιδεῖν εἰ κατὰ τὰς ἱερὰς γραφὰς συνέβησαν ἀλλήλοις, καὶ περὶ τῶν πρακτέων ἵν᾽ ἂν ἄριστα δοκῇ ἐπιτελέσαι. *Vt ipse quoque intelligeret, an secundùm sacras Scripturas*

turas convenissent invicem, & vt de ijs rebus, quæ agenda erant, quid optimum videretur, determinaret. Ipsi ergo Imperatores definierunt, sententias dixerunt, decreta Conciliorum confirmârũt. In Concilio Constantinopolitano primo, in Epistola quam Patres illius Concilij ad Theodosium Imperatorem miserunt, sic scriptum legimus. *Cupimus abs te (humanissime ac pientissime Imperator) diplomate tuo Synodi sentẽtiam cõfirmari, vt quemadmodum literis, quibus nos convocâsti, Ecclesiam honorâsti, ita etiã placita Synodi subscriptione tua munias.* Ergo Imperatores subscripserunt Conciliorum decretis, eaque confirmârunt, & munierunt. Hoc quid aliud est, quàm definierunt esse vera, & servari iusserunt. Imò hi Patres non modò Imperatori tribuunt authoritatem confirmandi & muniendi decreta Concilij, verumetiam fatentur irrita esse ea omnia, quæ ipsi egissent, nisi Imperator confirmaret. Ita plus illi tribuunt, quàm sibi ipsis. Socrates lib. 5. historiæ suæ cap. 10. scribit, Theodosium alterum, *σύνοδον πασῶν αἱρέσεων, Synodum omnium sectarum coegisse* (intelligit verò eum omniũ sectarum principes convocâsse) *& iussisse, ut quisque opinionem suam scriptis mandaret, & sibi traderet, & diẽ illis ad hoc dixisse.* Ad quẽ diẽ cùm omnes adessent, & singuli suas sentẽtias in scriptis traderẽt, pius Imperator (inquit Socrates) τὸ παρ' ἑκάστου ἔγγραφον δόγμα λαβὼν, singulorũ dogmata in scriptis cùm accepisset, secessit, & Deum ἐκτενῶς precatus συνεργῆσαι αὐτῷ πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας

ὑμῶν διαλογίαν, *ut ei ad veritatem eliciendam opē ferre vellet*, aperuit, & hæretica dogmata discidit, & damnavit, Catholicam verò fidem cōprobavit, & confirmavit. Vnde plus boni secutum est, quàm ex ullo unquam Concilio. Ex hac Imperatoris definitione, constat illum plus authoritatis habuisse, quàm Adversarij statuunt. In Concilio Chalcedonensi actione 1. non modò Episcopi, verumetiam legati Imperatoris, qui senatores & patricij erant, Dioscorum & Iuvenalem hæreticos unà cum Episcopis damnârunt. *Gloriosissimi iudices, & amplissimus senatus dixerunt*. Sic Euagrius de eodem Concilio lib. 2. cap. 4. οἱ ἀπὸ τῆς συγκλήτου βουλῆς ἐψηφίσαντο τάδε. *Senatores ista decreverunt*. Vbi videmus apertè tribui senatoribus definiendi authoritatem. Tribuitur enim illis ψηφίζεσθαι. Quid hoc aliud est, quàm decernere, & definire? Quid ergo nunc ampliùs desideramus? Similiter Patres in eodē Concilio act. 1. scribunt. *Videtur nobis iustum, si placuerit divinissimo & piissimo Domino nostro*. Vbi suum iudicium Imperatoris iudicio subijciunt, & submittunt. Et sic apud Euagrium, lib. 2. cap. 4. qui eandem causam tractat, *Patres decernunt, ei* παρασχεῖν τοῦ θειοτάτου ἡμῶν δεσπότου. Et ex eodem capite constat Theodoritum fuisse restitutum, & ad Ecclesiæ communionem receptum, παρακλήσει τῆς συνόδου, sed νεύματι τῆς βασιλείας, *supplicatione synodi, authoritate verò & nutu Regni*, hoc est, Imperatoris. Leo in Epist. 43. rogat Martianum Imperatorem, vt velit cassare

sare Ephesinam secundam synodum, aliud statuendo. Iustinianus Imperator, qui syncerissimæ pietatis fuit, multas leges tulit, in quibus hæc verba sæpiùs occurrunt, Definimus, iubemus, imperamus, mandamus, statuimus. Tantum ipse sibi tribuit, quasi iure suo, nec unquam est propter hoc à quoquam reprehensus. Vnde intelligimus, leges Ecclesiæ datas esse ab Imperatore, etiam sine Concilio. Si Imperator extra Concilium tantam authoritatem habet, num in Concilio nil nisi consentire potest? In tertio Concilio Constantinopolitano actione. 18. Constãtinus Imperator non modo sedit cum Episcopis, sed etiam subscripsit cum Episcopis. *Legimus* (inquit) *& consensimus*. In Concilio Arausicano secundo, viri patricij non modò sententiam de religione dixerunt, sed etiam cum Episcopis subscripserunt, vt ex fine Cõcilii patet. Papa Nicolaus apud Gratian. distinct. 96. capite, vbinam, sic scribit. *Vbinam legistis Imperatores antecessores vestros synodalibus conventibus interfuisse, nisi fortè in quibusdam, vbi de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis, quæ non solùm ad clericos, verumetiam ad laicos, & omnes omnino pertinet Christianos*. Cusanus de Concordantia Catholica lib. 3. cap. 16. sic scribit. *In octava synodo Basilius Imperator Patriarchalium sedium Vicariis & Patriarchis in subscriptione se postposuit ex humilitate, tota synodo rogante, vt se præponeret.* Et rursus idem alibi. *In universis octo Conciliis invenio Imperatores*

res & iudices suos cum senatu primatum habuisse, & ex consensu synodi sine mandato, conclusiones & iudicia fecisse. Postremò Aneas Sylvius in lib. 1. de Concil. Basiliensi in orat. Arelat. sic scribit. *Apparet alios quàm Episcopos in Concilijs habuisse vocem decidentem.* Cuius loci nos priùs mentionem fecimus. Et Presbyteri in illo Concilio definierunt, vt patet ex ipso Bellarmino. Ac propterea hoc Cōcilium ab illis repudiatur, sed nulla iusta ratione, nisi quòd Papæ displicuit. Et de hac Quæstione satis multa diximus.

Finis tertiæ Quæstionis.

QVAR-

Quarta Quæstio,

Cuius sit Concilijs generalibus præsidere.

CAPVT. I.

De statu Quæstionis.



CT. 15, 6. sic scribitur. Συνήχθησαν δὲ οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἰδεῖν περὶ τοῦ λόγου τούτου. *Congregati sunt igitur Apostoli & Presbyteri, vt de hoc negotio dispicerent*. Earum quæstionum, quas hæc controversia habet, tres adhuc reliquæ sunt, vt nôstis. Quarum *prima* est, Quis Concilijs præsidere debeat. *Secunda*, num Concilia sint supra Papã, an contrà maior sit Papæ, quàm Conciliorum authoritas. *Tertia*, num Concilia ritè & legitimè congregata in suis decretis errare possunt. Tres enim priores Quæstiones satis à nobis explicatæ & exagitatæ sunt. Nunc igitur sequitur, vt ad quartam Quæstionem veniamus. Quarta ergo Quæstio est, Quis in Concilijs primas obtinere debeat. Aliquis enim in Concilijs præses & moderator sit necesse est, vt omnia ordine fiant, rectèq; & legitimè administrentur. Vbi enim cætus hominum sine moderatore & gubernatore congregatur, ibi illa quodammodo Cyclopum con-

concio habetur, in qua, vt ſcribit Euripides, ἄρχει δ' οὐδεὶς οὐδὲν οὐδενὸς Quare in omnibus Concilijs tam Catholicis quàm hæreticis aliqui ſemper præſides fuerunt. Nam ne hæretici quidem quicquam in ſuis Conciliis perficere poſſent, niſi hunc ordinem ſervarent. Non immorabimur diu in hac Quæſtione, tamen Controverſiam ipſam ſatis accuratè tractabimus. In hac verò Quæſtione tractanda eum ordinem ſervabimus, quem in alijs Quæſtionibus ſervare ſoliti ſumus. Exponam enim primò, quis ſit ſtatus Quæſtionis, & primò quidem, quid Adverſarii ſtatuãt, deinde quid nos iudicemus, quidq; veritas omnino iudicandum eſſe doceat.

Adverſarii has omnes partes tribuunt Pontifici ſummo, hoc eſt, Papæ, eiuſq; hoc proprium eſſe munus affirmant, ut Concilijs nimirum generalibus præſideat, & quaſi ſummus iudex omnia moderetur, vel per ſe, vel per legatos ſuos, & nullum fuiſſe legitimum Concilium affirmant, quod non ipſe ſua authoritate congregavit, & cui ipſe non præfuit, vel ſaltem legati eius. Sic Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 19. & ante Bellarminum Iohannes de Turre cremata lib. 3. de Eccleſ. cap. 22. cuius hæc verba ſunt. *Regulariter Romanus Pontifex per ſe aut legatos ſuos habet univerſali Concilio præſidere.* Similiter Gaſpar Cardillus Hiſpanus, qui interfuit ipſe Concilio Tridentino, & librum hac de re ſcripſit, in diſputat. 2. de Conciliis, hæc verba habet. *In Concilijs Oecumenicis vnus Pontifex*

Marti-

Maximus iure præsidet, aut qui eius locum in Conciliis tenent. Duo igitur affirmant Adversarii. *Primum* hoc est, Papam debere Conciliis præsidere, & hoc esse iure eius proprium munus, nec esse legitimum Concilium, nisi ipse præsit. *Secundum* verò hoc est, non semper ipsum per se hoc munere fungi, sed per legatos suos nonnunquam: (non enim posse omnibus per se interesse) quod tamen quamobrem ab illo fiat, quæri potest, cùm res tanti momenti in illis tractari soleant; cumq; Romanorum Pontificum sit, vt volunt Adversarii, Concilia omnia & congregare & moderari. Itaq; Bellarminus in eodem capite huius rei duas rationes affert, sumptas à dignitate Romani Pontificis, quamobrem scilicet non semper ipse Conciliis intersit, ijsdemq; per se præsit. *Prima* ratio est, quia non videtur convenire, vt caput sequatur membra, cùm potiùs membra sequi debeant caput, ideòq; non debere ipsum ad Concilium accedere, sed Concilium potiùs ad ipsum. Sed hanc omnino fictã & futilem esse rationem constat; quia Papa non modò Conciliis Romæ habitis interfuit, & in Italia celebratis, verumetiam in locis ab Italia longè remotis. Sic Concilio Lugdunensi Innocentius quartus interfuit. Sic Concilio Viennensi Clemens quintus interfuit, alijsq; alij. Quare aut est hoc conveniens, aut aliquid inconveniens & absurdum hi Papæ admiserunt. Et sic cùm Pontifex Romanus caput sit, cui omnia membra se debent adiungere, debent omnia

Concilia

Concilia Romæ, aut in Italia saltem, vbi Papa commoratur, celebrari; vt eo modo mēbra caput sequantur. Sed *secunda* ratio est adhuc lōgè illustrior & nobilior, & eiusmodi in qua immanis Pontificis superbia & planè Antichristiana magis adhuc apparet. In Concilijs Orientalibus (inquit) semper interfuit Imperator, aut aliquis eius legatus, qui primum locum tenuit; quem etiam locum tenuissent, etiamsi Papa ipse venisset, quia illi cedere noluerūt; quare Papa ijs Cōcilijs interesse noluit, quia ipsis præesse nō potuit; sed misit tātum illuc legatos suos. O immanem & execrandam Antichristi insolentiam atque arrogantiam. Sed in hac ratione se parùm attentum, parumque prudentem ostendit Bellarminus. Nam illi pij Imperatores non ita vel in ipsum Pontificē iniqui & invidiosi, vel in Ecclesiam Dei malitiosi fuerunt, quin si hoc Pōtificis proprium munus fuisset, primum locum in Concilijs tenere, ijsq; præesse, & præsidere, hūc illi locum, si venisset, concessissent, & ipsi ius suum nō denegâssent. Deinde si hoc Papæ ius sit, vt volunt Adversarij, non ipse modò Pontifex in Concilijs primus sedere debuit, sed & eius legati, qui ipsius nomine ad Concilia missi sunt, primum etiam locum obtinere debuerūt. Quē cùm Imperatores & eorum legati illis negarent, nec ij quidem ab illo mittendi erant. Quare aut ficta hæc omnia sunt, aut egregiam & planè intolerabilem Vicarij Christi superbiam & ambitionem declarant: qui se Imperatori

 sub-

ſubmittere recuſavit, nec ad Concilia omnino venire voluit; quia primas tenere non potuit. Si legati eius inferiùs ſederent, non hoc tanti æſtimabat, ſed vt ipſe alibi, quàm in primo loco ſederet, ferre non potuit. Habet alias rationes Ioannes de Turre cremata, in lib. 3. cap. 11. quas reſpuit Bellarminus; ſunt enim ſanè futiles & ineptæ omnes. Ita quæ ſit Adverſariorum ſententia, videtis.

Noſtra verò ſententia hæc eſt, vera illa quidem, & Scripturis, atque omni antiquitati conſentanea, Papam hoc ſibi nullo iure, aut divino, aut hũmano, niſi tantùm Antichriſtiano, vendicare poſſe, ſed hoc totum in Imperatoris, & Regum, aut ipſius Concilij arbitrio poſitum eſſe. Si Imperator ipſe adſit, illum ſummum eſſe contendimus, ac proinde poſſe illum vel per ſe præſidere, vel hoc alteri mandare, & alterum ſuo loco præficere, ſive Epiſcopum, ſive hominem Conſularem, vel denique totum hoc negotium Concilio committere, in eiuſque arbitrio relinquere, vt ipſis, qui in Concilio congregantur, liceat quem velint moderatorem eligere. Romano verò Epiſcopo hoc in antiquis Concilijs nunquam conceſſum eſſe legimus. Iã perſpecto & intellecto Quæſtionis ſtatu ad ipſam diſputationem veniamus. Atq; hîc quidem non vnum ſequemur Bellarminum, quia eius argumenta non ſunt in hac cauſa firmiſſima, ſed alios præterea, qui de hac re ſcripſerunt, & in quos incidere potuimus.

CAP.

CAPVT 2.

In quo Adversariorum argumenta proponuntur.

BEllarmini tria tantùm sunt in hac causa argumenta. *Primum* eius argumentum est huiusmodi. Romanus Pontifex est pastor & pater Ecclesiæ vniversæ: at pastores ovibus, & patres filijs præsidere debent, non è contra oves pastoribus, & filij patribus: ergo Pontifex Pomanus Concilijs omnibus præesse, & præsidere debet. Sed vnde hoc constabit, Papam esse pastorem & patrem totius Ecclesiæ? nam in hoc tota vis huius argumenti consistit. Ergo duo affert Bellarminus, vt hoc probet. *Primò* affert locum illum celebrem, qui habetur Iohan. 21. *Pasce oves meas*, quem locum vsurpare solent in omni ferè causa Pontificij, de quo & nonnulla priùs à nobis dicta sunt, & plura posthac necessariò erunt dicenda, cùm de primatu Pontificis disputandum erit. Nunc verò breviter, quātum ad hunc locum, & ad hanc Quæstionem attinet, tractabo. *Respondeo* igitur 1: illa verba ad Petrum pertinere, nullo verò modo ad Papam, nisi vt eius perfidiam & negligentiam declarēt, quia oves Christi sibi commissas omnino non pascit. 2. Etiamsi orationē suam videatur Christus ad Petrum vnum peculiariter dirigere, eum solum spectare, & quasi digito demonstrare, propter causas quasdam, quas hîc non opus est recensere: hoc tamen non minùs ad omnes re-

liquos Apoſtolos, & eorum ſucceſſores, quàm ad Petrum ipſum pertinebat. Modus quidem præcipiendi Petro ſoli conveniebat, præceptum verò omnibus, cùm paſcere nihil aliud ſit, quàm docere, vt nos ſuo loco oſtendemus, quod non ſolùm Petrus iuſſus eſt facere, ſed reliqui etiam Apoſtoli, vt patet Matth. 28. 19. πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, *Profecti igitur docete omnes Gẽtes*, & poſtea planiùs verſ. 20. διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν, *docentes eos ſervare omnia, quæ ego mandavi vobis.* Ergo ſi hæc ratio firma ſit, alij omnes Apoſtoli Concilijs præeſſe ac præſidere debebant, perinde ac Petrus. Similiter, cùm Epiſcopi omnes paſcere iubeantur (vt patet 1. Pet. 5. 2. ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ θεοῦ, *Paſcite gregem Dei, qui penes vos eſt:*) Epiſcoporum etiam omnium erit Concilijs præſidere. Quid? num hoc levius præceptum eſt, quia à Petro datur, quàm illud, quia à Chriſto dabatur? Certè hoc præceptum à Spiritu Chriſti profectum eſt, ergo à Chriſto ipſo. Quare ſi ex authoritate paſcendi pendeat neceſſariò authoritas præſidendi, tum omnes certè Epiſcopi omnibus Cõcilijs præeſſe ac præſidere debent. Iam verò alterum illud, quod affert Bellarminus, vt probet Romanum Põtificem totius Eccleſiæ paſtorem & patrem eſſe, ex eo ſumitur, quòd Concilia ſoleant Papam patrem appellare, & Papa viciſſim Epiſcopos in Conciliis congregatos filios vocat. Vnde vult evincere Papã eſſe patrem, & Epiſcopos in Concilijs congre-

gatos eius filios esse. *Respondeo*: Fateor Papam aliquādo patrem à Concilijs & ab alijs Episcopis vocari, sed nihil minùs ex eo sequitur, quàm quod vult Bellarminus, eum scilicet vniversalē Ecclesiæ Pastorem esse. Patrem illum vocabāt, quia vir primarius erat (fuit enim hic honoris titulus) & quia eius cura, amor, ac solicitudo erga Ecclesiam Dei longè latéque patebat. Sed num ex eo sequitur eum fuisse omnium Episcoporum præsidem in Concilijs? nihil minùs. Nam & alij Episcopi patres atque etiam Papæ olim appellati sunt, vt postea suo loco docebitur; ergo non fuit hoc Papæ proprium. Athanasius & pater & Papa appellatus est. Sic etiam alij. Deinde Papæ antiqui non ferè solent sibi tantum arrogare, vt Episcopos alios vocent filios, Quare cautè Bellarminus interposuit hoc factum esse aliquando. Legi quidem hoc fateor in literis Damasi ad Cōcilium Cōstantinopolitanū apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. *Quòd Apostolicæ sedi debitā reverentiā exhibetis, vobis ipsis magno honori est,* υἱοὶ τιμιώτατοι, *filij honoratissimi.* Vbi huius Damasi solertia observāda est. Fingit enim in his literis plus sibi ab illo Cōcilio tributū fuisse, quàm re vera tributū fuit. Laudat huius Concilij Episcopos, quòd sedi Apostolicæ debitam reverentiam exhiberent, & eos filios vocat. At primò Patres illius Concilij in literis suis ad Damasum missis non vocant illum πατέρα, *patrem*, sed ἀδελφὸν, & συλλειτουργὸν, *fratrem, & in ministerio collegam*. Deinde non scribunt ad

vnum Damasum, sed ad illum cum collegis Episcopis multis, Ambrosio, Valeriano, & alijs, qui Romæ in Concilio eodem tempore congregati sunt. Et tamen laudat ille præclarus Damasus hos Patres, quòd reverentiam Romanæ sedi debitam tribuerint, cùm nihil de eo singulare prædicarent, quod non de alijs. Ita semper datum est huius sedis Episcopis, ambitione nimia laborare. Et de hoc primo Bellarmini argumento satis multa diximus.

Secundum argumentum est maioris momenti. Instituitur verò in hunc modum. In illo Apostolico Concilio, cuius mentio fit Act. 15. Petrus præses fuit. Hoc probat ex Hieronymo in Epistola ad Augustinum, quæ est inter Augustini Epistolas vndecima, & idem ex eo colligitur (inquit) quòd Petrus primus surgit, primus loquitur, primus quæstionem definit, & eius sententiam omnes sequuntur. *Respondeo 1:* falsum illud esse, quod de Hieronymo affirmat. Meminit ille quidem de illo Concilio, sed non affirmat Petrum fuisse præsidem, nec habet aliquid, vnde hoc colligi potest. 2. Etiamsi demus Petrum illi Concilio præfuisse: non tamen sequitur hoc iure divino & perpetuo ad Romanum Pontificem pertinere. Num enim ita præfuisse Petrum necesse est, quasi hoc ad eius ministerium iure perpetuo pertineret? Nequaquam. Potuit enim non ex suo iure & authoritate sua illi Concilio præesse, sed ex reliquorum voluntate & consensu ad hoc munus eligi.

eligi. Nam fatemur in Apoſtolorum Collegio primas ferè datas eſſe Petro propter ætatem, vt ait Hieronymus. Sed Petrus fuit ex conſenſu præſes in conventu Apoſtolorum: ergo Papa eſt perpetuus & ordinarius præſes in Conciliis; non ſequitur. Nam quid Petro, cum Papa? aut quid, ſi ille ex conſenſu eo tempore factus eſt præſes, ad hoc, vt perpetuum ius Romano Pōtifici tribuatur? Non dubito certè aliquem fuiſſe moderatorem aut præſidem illius Concilij, & quem potiùs exiſtimemus, quàm Petrum? Sed tota hæc res ex incerta coniectura pendet. 3. igitur reſpondeo, nihil inveniri in hoc capite, aut in actis huius Concilii, vnde colligi poteſt Petrum præfuiſſe. Nam *primò* non legimus à Petro congregatum fuiſſe hoc Concilium, quod ille certè feciſſet, ſi hoc eius munus fuiſſet, præſertim tum Hieroſolymis. Legimus quidem congregatos fuiſſe Apoſtolos & Preſbyteros, ſed non legimus à quo congregati ſunt. Forſan ſponte ſua convenerunt; forſan à Iacobo Epiſcopo Hieroſolymitano, vt aliqui putant; aut ab alio aliquo Apoſtolorum congregati ſunt. Quare levi tantùm coniectura tota hæc res nititur. *Præterea* Petrus non primus loquitur. Nam multa fuit antea diſquiſitio, multi antea multa dixerunt. Sic enim legimus verſ. 7. πολλῆς δὲ συζητήσεως γενομένης, ἀναστὰς Πέτρος εἶπε πρὸς αὐτούς. *Cùm autem multa diſceptatio fuiſſet, ſurgens Petrus dixit eis.* Tum eam ſententiam tulit Petrus, quam reliqui ſecuti ſunt.

Sed num sequitur, qui post diuturnam disputationem surgit, & sententiam suam pronunciat atque interponit, quam etiam reliqui sequũtur, eum præsidem esse? Nequaquam certè, sed sequitur hoc tantùm, illum unum è numero fuisse. Dixit ille quidem veram sententiam, sed non omnes, qui veram sententiam dicunt in Conciliis, sunt statim illorum Conciliorum præsides. Tum enim sequetur Paphnutium fuisse præsidem Niceni Concilii primi. Nam ille post longam disputationem in Concilio surrexit, & errantes Episcopos in rectam viam revocavit, eiusq; sententiam secuti sunt reliqui illius Concilii Patres, sed nemo tamen eum eius Concilii præsidem fuisse dixerit. *Præterea*, si velimus ea legere, quæ in hac historia sequuntur, intelligemus Iacobum potiùs quàm Petrum huius Concilii præsidem fuisse. Nam ex eius potiùs quàm Petri authoritate & sententia decretum factum est. Postquam enim Iacobus suam sententiam pronunciaverat, statim totum Concilium cum illo sensit, & qui postremus loquitur & definit auditis reliquis, is potiùs præses est, quemadmodum in omni ferè conventu fieri solet, is qui summam authoritatem habet, alios anteà audit, quàm ipse loquitur. Petrus quidem veram sententiam dixit de sublatis Mosaicis ceremoniis, deq; iustificatione ex sola fide. Quam etiam sententiam Iacobus amplexus est, sed cautionem præterea de vitanda offensione in sangui-

guine & ſuffocato interpoſuit, quod ad charitatis officium pertinebat. Et ſcriptæ ſunt literæ ad fratres in Iacobi ſententiam, & eo planè modo, quo ipſe locutus eſt. Theophylactus in hunc locum, vltimum locutum fuiſſe Iacobum affirmat, quia ille Epiſcopus fuit Hieroſolymitanus Sic ei πρεσβεῖαν quandam tribuit, quòd illius loci Epiſcopus eſſet. Euſebius lib. 2. cap. 1. Eccleſiaſticæ ſuæ hiſtoriæ, ait illum fuiſſe primum Epiſcopum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ. Et certè ſi fuit Epiſcopus, tum Apoſtolorum etiam Epiſcopus fuit, & ſic in illa Eccleſia plus authoritatis habuit, quàm reliqui Apoſtoli. Lyranus quoque in annotationibus ſuis in hunc locum, ait hoc ei tributum eſſe, vt determinationem proferret, quòd illius Eccleſiæ Epiſcopus eſſet. Dionyſius Carthuſianus in Act. 15. diſertè ſcribit, Iacobum huic Concilio præſediſſe. Præterea Patres in Concilio Baſilienſi arguebant, Papæ legatos non oportere præſides eſſe, quòd nuſquam legatur Petrum in Cõcilio præſediſſe. Similiter Ioannes de Turre cremata, etſi Papæ authoritatẽ acerrimè defendit, tamẽ fatetur nuſquã expreſsè & formaliter legi, quòd Beatus *P*etrus præſederit in Conciliis celebratis per Apoſtolos, lib. 3. cap. 24. *P*robabilius ergo eſt Iacobũ huic Concilio pręfuiſſe, quàm Petrum, quia illì, non Petro, illius Eccleſię cura commiſſa eſt. Et de hoc ſecundo argumento hęc dixiſſe ſufficiat.

Tertiũ Bellarmini argumentũ ſequitur, quod

totum

totum in historiis positum est. Vult enim ex actis octo generalium Conciliorum probare, Papam illis omnibus pręfuisse. Quod si demus, non tamen sequetur hoc illius perpetuum ius fuisse, quia voluntati horum Conciliorum hoc potiùs tribui potest, quàm ulli necessitati. Si voluerunt Episcopi in illis Conciliis congregati eum præficere, vt primum Patriarchā, vel quòd donis quibusdam reliquis antecelleret, num ex eo sequetur, iure divino & perpetuo hoc ad illum pertinere, quod dicunt Adversarij? Nequaquā. Sed de hoc argumēto meliùs respondebimus, cùm ad nostræ causæ cōfirmationē vētum fuerit. Et hæc sunt omnia Bellarmini argumēta.

Iam verò Gaspar Cardillus in disputatione 2. de Conciliis, è quo Bellarminus sua ferè omnia sumpsit, alia quædam affert argumēta, quorum quæ præcipua sunt, breviter perstringemus. *Quartum* igitur Adversariorum argumētum est huiusmodi. Eius est præsidere, cuius est Concilium convocare: at hoc est vnius Pontificis: ergo & illud. *Respondeo*: Si hæc ratio sequatur, non est certè Pontificis præsidere. Nam Papa antequam factus est Antichristus, nullam habuit huiusmodi potestatem, vt posset Concilia convocare. Et nos in secunda Quæstione huius Controversiæ docuimus, quatuor prima generalia Concilia ab Imperatoribus non à Romanis Pontificibus congregata fuisse, vt si ulla fides historiis Ecclesiasticis adhibenda sit, non dubium sit, quin Imperatorum hæc tota authoritas

ritas fuit. *Quintum* Adversariorum argumentum sic se habet. Oecumenica Concilia repræsentant vniversalem Ecclesiam; iis præsidere debet naturâ & per se, qui caput est Ecclesiæ: at is est Papa: ergo Papa debet Oecumenicis Concilijs præsidere. *Respondeo*: has esse meras nugas, & apertas principii petitiones. Nam *primò* præsidere & moderari potest is, qui non est caput. In Parlamentis enim præses est, quem ipsi eligunt, qui convenerunt. *Secundò*, Papam esse caput Ecclesię vniversalis, ipsi quidem Papæ convenit, sed religio & veritas tale caput non agnoscit, vt nos luculenter Deo volente suo loco docebimus. *Sextum* argumentum tale est. Si necessarium sit, vt Imperator Conciliis præsideat, tum nullum erit legitimum Concilium, quod non est ab Imperatore administratum: at Concilium Hierosolymitanum non fuit ab Imperatore aliquo celebratum aut administratum, nec ullus illi Rex interfuit; ergo non est necesse, vt Imperator Conciliis præsideat. *Respondeo*: Hoc argumentum est extra causam. Nos non dicimus esse necessarium, vt Imperator præsit, nisi ipse velit. Potest aut ipse aliquem præficere, aut Concilio permittere, vt præsidem & moderatorem eligat. Sed postquam Imperator Christianus iam factus est, Concilium non esse legitimum dicimus, nisi aut ipse præsit, aut aliquis vel ab eo designatus, vel eius permissu à Concilio electus. *Septimum* argumentum hoc est. In Concilijs sæpe aguntur causæ Episcoporum; sed

ſed nullus Rex aut laicus poteſt damnare Epiſcopum aut ſacerdotem, quia non ſunt ſubditi ſecularibus Principibus: ergo nullus Rex aut laicus debet Concilijs præſidere. *Reſpondeo 1:* Si Rex aut laicus non poſſet damnare Epiſcopum aut ſacerdotem quenquam, poſſet tamen præſidere. Nam præſidis eſt curare, ut rectè omnia adminiſtrentur, etſi ipſe non definiat, ut alij. 2. Principum eſt cauſas Epiſcoporum cognoſcere, & Epiſcopos damnare, ut ſuo loco docebimus. Et multi ſic damnati ſunt. Damnare enim Epiſcopum poteſt, qui non eſt ipſe Epiſcopus, cùm cauſa damnationis Epiſcopi ſit eadem, quæ laici. *Octavum* argumentum ſic proponitur. Iudicium de fide non ſpectat ad ſeculares iudices; at in Concilijs fit iudicium de fide; ergo Concilijs præeſſe ad ſeculares non ſpectat. *Reſpondeo:* huic argumento iam eſſe reſponſum. *Primò*, non poteſt diſtinguere inter iudicare & præſidere. Non enim vt præſes ſit iudex, eſt neceſſe. Nam Papiſtæ ipſi duplicem agnoſcunt præſidentiam, honorariam, & authoritativam. *Secundò*, quid impedit, quo minùs etiam ſeculares de fide iudicent? Num enim eſſe Epiſcopum, facit quenquam continuò idoneum iudicem? At illiteratus Epiſcopus non eſt iudex idoneus. Iudicium de fide petendum eſt ex Scripturis. Princeps verò pius poteſt Scripturis aſſentiri, non minùs quàm Epiſcopus. *Nonum* argumentum eſt Ioannis de Turre cremata in lib. 3. cap. 22. Act. 1. in electione

Matthæi

Matthæi Petrus præsedisse videtur. *Respondeo:* Quia non omnes unà loqui potuerunt, Petrus ut ætate maior reliquis loquitur, quod non arguit illum fuisse perpetuum præsidem, qualem Adversarij suum Papam esse volunt. Et hæc sunt omnia, aut saltem præcipua Adversariorum in hac causa argumenta.

CAPVT 3.

In quo nostra argumenta proponuntur.

POstquam Adversariorum nostrorum argumenta diluimus, quibus eam authoritatem Pontifici Romano vendicant, ut eius sit Concilijs omnibus generalibus præsidere: consequens nunc est, ut ad causæ nostræ confirmationem veniamus, & nostra vicissim argumenta proponamus. Nec hîc multa conabor argumenta cumulare. Satis erit Ecclesię annales paucis evolvere, & veterum Conciliorum monumenta percurrere, ut intelligamus quis in singulis præsidis locum habuit, antequam Papa Imperatorem & Ecclesiam suis pedibus conculcavit.

Primo loco de Concilio Nicæno primo dicemus, quod fuit omnium antiquissimum ex ijs quæ generalia vocãtur. De huius Concilij pręside variæ sunt opiniones. Calvinus lib. 4. institut. cap. 7. paragraph. 1. Athanasium ait huius Concilij præsidem fuisse. Sed hoc ab illo sine

aliqua

aliqua authoritate affirmatur. Interfuit ille quidem huic Concilio cum suo Episcopo Alexandro, & præclaram in eo operam navavit; non fuit autem præses huius Concilij, quia tum non fuit Episcopus, sed tantùm Diaconus Ecclesiæ Alexandrinæ. Pontificij affirmant Papæ Legatos, Hosium, Vitum, & Vincentium, huic Concilio præfuisse. Sic Bellarminus. Et quidē Hosius vir magnæ authoritatis fuit, de quo Athanasius in Apologia de fuga honorificam mentionē facit, & de eodem Theodoretus lib. 2. cap. 13. sic scribit, ποίας γὰρ οὐκ ἡγήσατο συνόδου. Sed tamen non ille sic huic Concilio interfuit, quasi revera Concilij præses, sed quasi unus è multis, qui prudentia & doctrina reliquis præierit, adeo ut totam quodammodo synodum regeret. Sed si ille præses fuit, quid hoc ad Pontificem Romanum? Eius scilicet legatus fuit, inquit Bellarminus. Impudentissimè & falsissimè hoc ab illo dictum est. Nam fuit Hosius ipse Episcopus Ecclesiæ celebris in Hispania, nempe Cordubensis, & suo nomine ac iure huic Concilio interfuit, non alterius alicuius vices gessit, non alterius Vicarius aut Legatus fuit. Vitum quidem & Vincentium Presbyteros, Pontificis Romani Legatos fuisse in hoc Concilio agnosco. Et hi quarto loco sedebant, ut affirmat Sozomen. lib. 1. cap. 17. Et Athanasius in Apolog. 2. ait subscripsisse primum Hosium, tum Iulium Episcopum Romanum per suos Presbyteros. Sed hæc fraus Papistica est, quia Hosius

us primus ſubſcripſit, hinc fingere illum Pontificis Romani Legatum fuiſſe. At nec Sozomenus, nec Socrates, nec Theodoretus, nec Athanaſius, nec ullus omnino antiquus author, Hoſium eius Legatum fuiſſe affirmat. Sed audiamus Bellarmini rationes, quibus hoc conatur probare. Ait Hoſium ſimplicem fuiſſe Epiſcopum, ac proinde ſine dubio (inquit) nunquam habuiſſet primum locum, niſi vicem geſſiſſet Romani Pōtificis. *Reſp.* Etſi ſimplex Epiſcopus erat: fuit tamē homo celeberrimus, doctiſſimus, graviſſimus, ſanctiſſimus. Athanaſius Apolog. 2. multa honorificè admodum de illo ſcribit. ποία ἐκκλησία τῆς τούτου προστασίας οὐκ ἔχει μνημόσυνα τὰ κάλλιστα; τίς ὀδυρόμενος πότε προσελθὼν αὐτῷ, οὐ χαίρων ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ; τίς ἤτησε δεόμενος, καὶ οὐκ ἀνεχώρησε τυχὼν ὧν ἠθέλησε. *Quæ Eccleſia illius præfecturæ non habet monumenta pulcherrima? quis vnquam ad eum mæſtus acceſſit, qui non lætus ab eo diſceſſit? quis vnquam egens aliquid ab eo petijt, qui non abijt nactus quæ voluit?* Hic ille eſt ſimplex Epiſcopus, cum quo certe ne ipſe quidem Epiſcopus Romanus fuit conferendus. Sed hîc Adverſarij fraudem & ſtuporem animadvertite. *Primò*, vult probare, hos tres fuiſſe Legatos Pontificis Romani ex ſubſcriptione. Hi enim tres (inquit) primi ſubſcripſerunt. *Reſpondeo:* Fateor Hoſium ſubſcripſiſſe primum, tum Vitum, & Vincentium. At Hoſius non ut Legatus ſubſcripſit, ſed ut Epiſcopus ſuo nomine. Hæc fraus eximia eſt Papiſtarum, quia Hoſius

primus

primus subscripsit, ideo Legatum Pontificis Romani fuisse. Subscripsisse primū legimus, at Romani Pontificis Legatum fuisse nusquam legimus. Hoc ergo illi primò probandum fuit. *Secundò,* affirmat Bellarminus Cedrenum quēdam & Photium (recentes authores) asserere Romanum Episcopum Sylvestrum per suos Legatos Concilio Nicæno authoritatem contulisse. *Respondeo:* in his verbis tria fraudis capita haberi *Primum* est, quòd Sylvestrum eo tempore Episcopum Romanum fuisse affirmet,& ad hoc Concilium Legatos suos misisse. Nam ille antea mortuus est, quàm hoc Concilium fuit celebratum . Et tunc temporis Iulius Pontifex Romanus fuit, qui Sylvestro successit, ut nos antea in alia quæstione ex Athanasio probavimus. *Secūda* fraus est, quòd ex eo quod Cedrenus & Photius scribunt, Episcopum Romanum contulisse authoritatem Concilio, eum Concilio prefuisse colligit. Aliud enim est, Cōcilio authoritatē cōferre, aliud præesse. Nā omnes Patres illius Concilij, quodā modo Cōcilio illi authoritatem contulerunt, cùm subscripserunt. *Tertia* fraus est, quòd ubi illi scribunt per Legatos authoritatem contulisse, pro confesso sumit, Hosium fuisse unum ex his Legatis. *Tertiò,* ex eo quòd Athanasius scribit in Epistola ad solitariam Vitam agentes, Hosium fuisse principem in eo Concilio, colligit eum Pontificis Romani Legatum fuisse. *Respondeo:* Agnosco illum virum primarium fuisse, sed num ex eo sequi-

ſequitur, fuiſſe illum Legatum Pontificis Romani? Nihil minus. Hoc eſt lectorem fallere. Hæ ſunt Adverſariorum præſtigiæ. Non fuit Hoſius cuiuſquam omnino legatus. Erat enim per ſe Epiſcopus, ſuo munere fungebatur, pro ſe & ſuo nomine ſubſcripſit, nihil illi cum Romano Pontifice commercii fuit. Quare cùm hiſtoriæ diſertè teſtentur, Pontificis Romani legatos, non primum, non ſecundum, imò ne tertium quidem locum in hoc Cōcilio obtinuiſſe, neſciunt Adverſarii, quid faciant, aut vbi conſiſtant, niſi fingant eum, qui primum locum obtinebat, Pontificis Romani legatum fuiſſe. Quis non videt vim fieri ab illis, ſynceris antiquitatis monumentis? Iam verò alii neq; Athanaſium, neq; Hoſium, ſed Euſtathium Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum huic Concilio præfuiſſe exiſtimant. Sic Lutherus in lib. de Conciliis, parte ſecunda. Sic Iuellus in Apologia. part. 2. Et hæc opinio aliqua rationis probabilitate niti videtur. Nam etſi Hoſius dicatur princeps Concilii, & primus ſubſcripſit, tamen non proinde præſes fuit. Euſebius lib. 3. de vita Conſtantini, cap. 11. ait illum Epiſcopum, qui ſedebat primus ad dexterum latus Regis, poſtquam in templum veniſſet Imperator, vbi Epiſcopi erant congregati, ſurrexiſſe, & orationem de laudibus Imperatoris habuiſſe. Is ſanè inter Epiſcopos primus & præcipuus fuiſſe videtur. Sed quis ille Epiſcopus fuit? non legatus Papæ, neq; etiam Hoſius. Euſebius non nominat, & inde interpretes e-

ius colligunt ipsum Eusebium fuisse. Sed falsò, non enim fuit Eusebius. Theodoretus lib. 1. cap. 7. totam hanc rem apertè explicat. *Rex* (inquit) *in medio sedit, & cum eo totus ille sanctus chorus Episcoporum.* Tum sequitur. παραυτίκα δὲ πρῶτος ὁ μέγας εὐστάθιος, ὁ τῆς ἀντιοχέων ἐκκλησίας προεδρίαν λαχών. οὗτος τοῖς ἄνθεσι τῶν ἐγκωμίων τὴν βασιλέως ἐστεφάνωσε κεφαλήν. *Statim primus magnus Eustathius Antiochenæ Ecclesiæ præfecturam sortitus. Ille laudum flosculis Regis caput decorabat.* Vnde colligimus Eustathium illum fuisse, cuius Eusebius meminit celato nomine. Quare non minor eius quàm Hosij authoritas fuit in hoc Concilio. Sic Nicephorus lib. 8. cap. 16. scribit Eustathium primum ad Imperatorem verba fecisse. Alij has partes, atque hanc προεδρίαν Episcopo nulli tribuunt, sed ipsi Imperatori Constantino. Sic Brentius in prolegomenis. Et hæc quidem verissima videtur esse opinio. Etsi enim ille non fuit Episcopus, potuit tamen Concilio moderari, & leges Episcopis præscribere, quas illos oporteret in omni disputatione sequi. Et certè si velimus in memoriam revocare, quę de Constantino scripta sunt ab Eusebio, Socrate, Theodoreto, & alijs, non possumus arbitrari, alium quenquam fuisse huius Concilij præsidem, præter ipsum Constantinum. Hoc certè non eò dico, quòd illum putem semper Concilio interfuisse, quoties Episcopi convenerunt, sed quòd cùm interfuit, prę fuit ipse, cùm verò ille absuit, Eustathius, aut

Hosius,

Hoſius, aut alius quiſquam ab illo deſignatus, cui ille has partes demandavit. Quanquam re vera non leguntur unquam conveniſſe, niſi cùm adeſſet Imperator. Sed videamus, quàm præclarè Bellarminus contrà diſputet, & quas rationes afferat, ut hanc opinionem infringat. *Primò*, ait Conſtantinum poſt omnes Epiſcopos ſubſcripſiſſe, ut teſtatur Baſilius Imperator in fine octavæ ſynodi, ac proinde nō fuiſſe præſidem, quia præſes ſemper primo loco ſubſcribit. *Reſpondeo:* hoc argumentum infirmum eſſe. Quanquam, ut ingenuè dicam quod ſentio, exiſtimo ſubſcriptiones illas, quæ hodie circumferuntur, fictas eſſe. Sed potuit ille poſt reliquos ſubſcribere, quia non fuit Epiſcopus, ac proinde non potuit nec voluit de rebus tam magnis aliquid liquidò ſtatuere, priuſquam Epiſcopi de illis diſceptâſſent & ſubſcripſiſſent. *Secundò* ait Bellarminus, Conſtantinum non auſum eſſe ſedere, niſi in ſede humiliori, idq; annuentibus Epiſcopis. *Reſp.* Iſtos non pudet cuiuſquam calūniæ. Quid? non auſus eſt Imperator ſedere, antequam Epiſcopi annuiſſent? quare non eſt auſus? quid metuebat? quorſum illi locus ad ſedendum paratus, & ſella, niſi ut in ea ſederet? & quæ ſella? certè qualem nullus Epiſcopus habuit, tota nempe aurea. Euſebius lib. 3. de vita Conſtantini cap. 10. hac de re ſic ſcribit. παρελθὼν ἐπὶ τὴν πρώτην ἀρχὴν τῶν ταγμάτων, (hoc præſidis fuit) μέσος πρῶτος ἔστη, *cùm verò ad ſummū locū venit, primus in medio cōventu erectus cōſtitit.*

non credo quòd ei nullus ad ſedendum locus eſſet, nam ſequitur, *σμικροῦ αὐτῷ καθίσματος ὕλης χρυσοῦ πεποιημένου, προτεθέντος, parvâ quadam ſellâ ex auro fabricatâ illî, loco poſitâ.* At non priùs ſedit, quàm Epiſcopi annuerant. Fateor, verùm ille tamen primus omnium ſedit, & ſimiliter omnes *μετὰ βασιλέα, poſt Regem,* ut ſcribit Euſebius in eodem loco. Et hoc illum præſidem fuiſſe arguit. Primò quidem ſtetit, quod eſt modeſtiæ illius tribuendum, & reverentiæ erga tot Patres, & talem Epiſcoporum conſeſſum. Tam multos enim ſanctos & pios Epiſcopos veneratus eſt. Hinccine colligi poteſt maiorem fuiſſe Epiſcoporum, quàm Imperatoris authoritatem? nullo modo. *Tertiò* ait Bellarminus Conſtantinum profeſſum ſe eſſe ſubiectum Epiſcopis, & debere ab Epiſcopis iudicari. *Reſpondeo:* Quid tum? Hoc non impedit, quò minus præſes eſſe potuit. Nónne enim ſi Epiſcopus fuiſſet præſes, à reliquis Epiſcopis eum iudicari oporteret? Quis pius Princeps non ſic dixiſſet? Hoc ille fecit ſingulari quadam modeſtia animi & prudentia, quia voluit eos ad pacem revocare. Ob eamq; cauſam noluit ille ipſorum lites privatas intelligere vel dijudicare, noluit hoc tempore ullam inſtitui de privatis controverſiis quæſtionem. Interim potuit Epiſcopis præeſſe & moderari, & ea facere, quæ à moderatore fieri debebant, quod illum feciſſe palàm conſtat. Legite Euſebium de vita Conſtantini lib. 3. cap. 13. & invenietis eum feciſſe,

quod

quod optimum pręſidem ac moderatorem decuit. Ipſe Concilio interfuit, reconciliavit illos, qui diſſidebant,& ad concordiam perſuaſit; eos qui paulò inſolentiores & ferociores fuerunt, mitigavit, nec antea deſiit, quàm omnes ad concordiam revocaverat, & tum hanc quaſi ſecundam victoriam nactus, ἐπινίκιον ἑορτὴν, *feſtum triumphale*, celebravit. Similiter idem Euſebius lib. 1. cap. 37. ait illum fuiſſe, quaſi κοινὸν ἐπίσκοπον, *communem Epiſcopum*, & ἐν μέσῳ διατριβῇ, *in media frequentia*, ſediſſe, & fuiſſe κοινωνὸν τῶν ἐπισκεπτομένων, *participem rerum quæ in deliberationem veniebant*, & quos pacis ſtudioſos vidit, eos laudaviſſe, quos obſtinatos & contentioſos, eos averſatum eſſe, quos paulò inſolentiores & vehementiores invenit, eos patienter toleràſſe, μὴ στασιάζειν ἐγκελευόμενος, & *ne ſeditioſè aliquid facerent, iuſſiſſe*. Quòd iuſſit, hoc arguit ſummam eius authoritatem fuiſse, moderatoris enim hoc officium eſt, iubere. Quare meritò Nicephorus lib. 8. cap. 17. illum huius Concilij præſidem fuiſse teſtatur. Erant quidem alij moderatores, ſed Imperator ſummus præſes & moderator fuit. Euſebius enim lib. 3. de vita Conſtantini cap. 13. ait, cùm Imperator peroràſſet, ſermonem deinceps conceſſiſſe τοῖς τῆς συνόδου προέδροις, *reliquis Concilij præſidibus, ſive principibus*, quod non fuiſſe à Bellarmino animadverſum miror. Fuerunt ergo alij Præſides, Euſtathius forſan, & Hoſius, & Alexander, qui cauſas ipſas proponebant, ſuas ſententias ferebant, & alio-

tum rogabant suffragia, sed summus & maximus prȩses fuit Imperator. Ille, quando voluit, suam sententiam interposuit, & omnia boni præsidis officia fecit. Et certè nisi ille adfuisset, nullus vnquam turpior consessus fuisset. Episcopi enim exulcerato animo ad Concilium veniebant, alii alios graviter accusabant, alii aliis crimina obiiciebant, vt narrat ibidem Eusebius, adeo vt nisi Imperator omnes litigandi causas amputâsset, nihil certè in illo Concilio actum fuisset. Nec persuasit ille modò, sed coegit eos id facere quod voluit, vt tempus, locus, & causa postulabant. Quare summum illum fuisse moderatorem constat, etsi alij Episcopi principes & præsides etiam appellati sunt. De legatis verò Pontificis Romani nihil præclarum aut magnificum legimus, nisi quòd quarto loco subscripserunt, vel, vt vult Athanasius, secundo. Sed quid opus est plura testimonia afferre? Papa ipse Constantinum fuisse huius Concilii præsidē scribit. Sic enim Melchiades Papa apud Gratianum causa 12. quæst. 1. capite, Futuram. *Constantinus præsidens sanctæ synodo, quæ apud Nicæam congregata est.* Iam videmur quasi scopulos prætervecti. De aliis igitur Conciliis nunc videamus.

Venio ergo ad *secundum* generale Cōcilium, quod fuit Constantinopolitanum primum. Quid? num huic Concilio præfuit Pontifex Romanus? imò ne interfuit quidem, nec ipse per se, nec quisquam illius nomine. Nam eodem tem-

tempore Damaſus Epiſcopus Romanus aliud Concilium in Italia celebravit cum Epiſcopis Italicis Et illud eſt hîc obiter obſervandum, non illud Italicum Concilium, in quo ipſe Damaſus adfuit, generale & Oecumenicum Concilium habitum & appellatum fuiſſe, ſed hoc Conſtantinopolitanum, cui Orientales tantùm Epiſcopi interfuerunt. Quod argumento eſt non tantam tum fuiſſe Pōtificis Romani authoritatem, quanta nunc eſt . Et hîc planè obmuteſcunt Bellarminus & reliqui Ieſuitæ, atq; ingenuè fatentur non Romanum, ſed Conſtantinopolitanum Epiſcopum Nectarium huic Concilio præſediſſe. Et nihil affert Bellarminus, quod ad rem facit, niſi Imperatorem non præſediſſe, ſed tantùm miſiſſe ad Epiſcopos literas Romani Pontificis, quibus ad Concilium vocabantur. At Theoderetus lib. 5. cap. 7. ſcribit, Imperatorem Theodoſium interfuiſſe . & cùm Epiſcopos omnes humaniſſimè ſalutâſſet, rogaviſſe *βουλεύσασθαι περὶ τῶν προκειμένων*, *vt deliberarent de rebus propoſitis*. Interfuit ergo Imperator, & aliquā authoritatem habuit. Et quāquam inter Epiſcopos Nectarius primas tenebat, tamen Imperator potuit nihilò minùs ſummus moderator eſſe. Sed nobis ſatis eſt, non Romanum ſed Conſtantinopolitanum Epiſcopum præfuiſſe. Sic enim indicat etiam Nicephorus. lib. 12. cap. 13.

Tertium Concilium generale fuit Epheſinū primum, de quo Concilio Bellarminus vehementer iactat. Ei tamen Pontifex Romanus

non interfuit. Is fuit eo tempore Celestinus. At (inquiunt Adversarij) Cyrillus Episcopus Alexandrinus præses erat, & is Romani Pontificis personam gerebat, vtpote eius legatus. Sic omnes ferè historici scribunt. *Respondeo:* Fateor ita esse, & sic scribere historicos. Sed vt Calvinus rectè observavit in loco superiùs citato, hoc obliquo quodam Romani Pontificis artificio factum est. Quia enim Romanus Pontifex interesse non potuit, demandavit suas partes Cyrillo, ne videretur penitus exclusus, & ne Episcopus Constãtinopolitanus primas partes obtineret. Absente enim Romano Episcopo, Constãtinopolitanus primus esse debuit. Et fuit hoc tempore contẽtio inter Alexandrinum & Cõstantinopolitanum Episcopum, quis eorum secundum locum post Romanum Episcopum obtineret. Antea enim Alexandrinus Episcopus obtinebat, sed postea cùm Imperator Cõstantinopoli sedem haberet, secundus locus est Constantinopolitano Episcopo datus & concessus. Ergo artificium hoc fuit obliquum, & minimè obscurum, & fuit sanè mysterium, vt Iuellus rectè appellat. Sed quicquid Bellarminus, aut quisquam Papista hac de re scribat, hęc duo certa & firma sunt, contra quæ nihil afferri potest. *Primum* est, etsi personam Celestini Cyrillus gessit, tamen non ideo iure suo præsidem fuisse. Datũ hoc fuit Episcopo Romano, cùm adesset in Concilio Episcoporum, vt primo loco sederet, at hoc ad eius legatos non pertinebat.

bat. *Secundum* est, Cyrillum propter suam virtutem & dignitatem, potiùs quàm propter Romani Pontificis authoritatem, præsidem fuisse, tum quòd Catholicus esset, tum quòd in summo apud Catholicos honore haberetur. Celestinus callidè ei suas partes tradidit, vt quasi loco & nomine Celestini videretur præsidere, & Cyrillus, quia se hoc modo firmiorem fore ratus est, ideo non recusavit. Sed hoc fuit Celestini artificium, vt Episcopus Constantinopolitanus non haberet primum locum, & vt ipse suũ nomen in primo loco poneret. Sed Cyrillus per se præfuit, & præfuisset sine dubio, vel invito Celestino. Deinde, cùm illud turbulentum Concilium esset, Imperator ad Concilium senatorem misit, & literas; & graviter illos incusat, & pronunciat omnia esse irrita, quæ hactenus gesta sunt, & iubet ordine convenire, & postquam consenserint, ad se decreta mittere, vt ipsius authoritate corroborentur. Hæc in actis illius Concilij habentur, & arguunt Imperatoris fuisse maiorem, quàm cuiusquam Episcopi potestatem. Et quanquam Cyrillus inter Episcopos primum locum tenuit, tamen revera Imperatorem per suos legatos fuisse summum moderatorem constat, vt etiam in alijs Concilijs. Quid quòd Leo Papa in Epist. 47. Cyrillum, non suũ prædecessorem Celestinum huic Concilio præfuisse ait? Hæc eius verba sunt. *Prioris Ephesinæ synodi, cui sanctæ memoriæ Cyrillus Episcopus tunc præsedit.* Et in Codice lib. 1. tit. 8. cap.

8. sic

8. sic scribitur. *Ephesina synodus, cui beatæ memoriæ Cyrillus præfuit.*.

Quartum Concilium generale fuit Chalcedonense. Huic Martianus Imperator interfuit in prima actione, vt fatetur Bellarminus, & in reliquis actionibus quosdam iudices Consulares prefecit: qui, vt patet, precipuum locum obtinuerunt, vt omnia tranquille & graviter fieri curarent. Nam quorsum, quæso, illi aderant, nisi vt moderatores essent? Non disputabant, non iudicabant, vt Episcopi, sed præsidebant. Inter Episcopos fateor primas tenuisse legatos Leonis Pontificis Romani, qui fuerunt duo Episcopi, & duo Presbyteri, at non vllo iure suo, sed voluntate Principis. Verùm præsides fuerunt viri Consulares, legati Imperatoris. Quorsum enim illi aderant? Bellarminus ait, ad violentiam depellendam. Sed si quis velit acta legere illius Concilij, habuisse illos sententiam & definitionem inveniet. Nam in prima actione, quando hæretici condemnati erant, hæc verborum formula vsurpatur. *Gloriosissimi iudices, & amplissimus senatus dixerunt.* Et Euagrius lib. 2. cap. 4. sic scribit. οἱ ἀπὸ τῆς συγκλήτου βουλῆς ἐψηφίσαντο τάδε. *Senatores*, sive, *homines consulares decreverunt ista.* Et iterum in eodem loco. εἰ ἀρεστὰ εἴη τῷ θειοτάτῳ ἡμῶν δεσπότῃ. *Si ista sanctissimo nostro Domino*, hoc est, Imperatori *placuerint*. Ergo ille summus moderator fuit, quia sine illius authoritate nihil aut factum est, aut fieri potuit. Atque hæc fuerunt quatuor prima generalia Concilia.

Quid

Quid ego reliqua commemorem Concilia generalia, Constantinopolitanum secūdum, cui Menas Episcopus Constantinopolitanus, vel saltem Eutychius eius successor præfuit? quid Sardicense, cui præfuit Hosius? quid Carthaginense sextum, cui præfuit Aurelius, etiam præsentibus legatis Romani Pontificis? quid alia? Historiæ testantur Romanum Pōtificem multis Concilijs nec interfuisse, nec præfuisse. Et particularia Concilia infinita sunt, quibus ipse non præfuit. Hoc enim non esse necessarium concedunt Adversarij. Denique ne in re non necessaria nimis longus sim, concludam hunc locum testimonio Nicolai Cusani lib. 3. cap. 16. de concordantia Catholica. *Sciendum est, quòd in vniversalibus octo Concilijs, vbi Imperatores interfuerunt, & non Papa, semper invenio Imperatores & iudices suos, cum senatu primatum habuisse, & officium præsidentiæ, per interloquutiones, & ex consensu synodi, conclusiones, & iudicium fecisse, & non invenitur instantia in octo Concilijs, præterquam in tertia actione Concilij Chalcedonensis.* Hoc Concilium & hanc actionem contra nos semper vrgent Adversarij, sed nos antea respondimus. Atque hic finis erit huius Quæstionis.

Quæstionis quartæ finis.

QVIN-

Quinta Quæstio,

De Conciliis,

An Concilium sit supra Papam.

CAPVT I.

De statu Quæstionis.

DE Præside Conciliorum ea diximus, quæ nobis sufficere videbantur. Ostendimus enim hanc προεδρίαν nec iure divino, nec humano, nisi tãtùm Antichristiano, ad Romanum Põtificem pertinere. Nunc ad quintam Quæstionem accedo, in qua Concilium cum Papa comparatur. Disputandum enim est in hac Quæstione, num Concilium sit supra Papam, an Papa supra Cõcilium. Quæ etsi iniqua comparatio esse videatur, tamen non omittenda est propter Papistas, qui hanc grauissimam Quæstionem esse existimant. Etsi non tanta inter nos & Papistas, quanta inter Papistas ipsos hac de re contentio & controversia est. Nam inter illos multi, & ij quidem magni nominis, Concilium Papæ præferunt, alii verò Papam Concilio. Tamen & nostra

ſtra etiam eſt aliqua hac de re controverſia. Igitur vt meliùs intelligatis, quid illi teneant, quid nos hac de re ſtatuamus, res tota diligenter & perſpicuè explicanda eſt.

Antequam Antichriſtus in Eccleſia palàm dominari cæpiſſet, & omnem ordinem pervertiſſet, nulla de hac re controverſia fuit. Nunquã enim auſi ſunt veteres illi Pontifices Romani ſe Conciliis Oecumenicis anteponere, etſi ambitioſi ſatis fuerunt, & ambitione ſua plus ad ſe rapere voluerunt, quàm par erat, quàmq́; fas & æquum poſtulabat. Tandem verò eò impudẽtiæ & immanitatis progreſſi ſunt, vt ſibi omnem authoritatem, & quaſi divinitatem quandam, licèt multis ſemper reclamantibus, vendicarent. Nam in tribus Conciliis etiam Antichriſtianis, nempe, Piſano, Conſtantienſi, & Baſilienſi, decretum eſt, Concilium eſſe ſupra *P*apam. Et adhuc in nullo Concilio decretum fuit, *P*apã eſſe ſupra Concilium, ne in Tridẽtino quidem. Nam etſi Patres & Epiſcopi Tridenti ſubmiſerunt ſe in omnibus Romano Pontifici, tamen nullum hac de re decretum ſancitum & promulgatum fuit. Melchior Canus quidem in lib. 5. cap. vlt. in reſponſione ad 9. argumentum, affirmat contrarium dogma in Florentino & Lateranenſi Cõcilio confirmatum eſſe. At in Florentino Concilio nihil tale diſertè legimus, & Lateranenſe quidem, hoc dogma palàm definijt in ſeſſione 11. Sed de eius authoritate ab ipſis etiam *P*apiſtis dubitatur, num ſcilicet fuerit verè

rè generale, necne, vt Bellarminus ipſe fatetur, ergo ait ad hunc uſque diem iſtam Quæſtionē etiam inter Catholicos remanere. Id ergo videtur Bellarminus ſignificare, nondum conſtare inter ipſos de hac Quæſtione, nec adhuc certi quicquam hac de re ſtatui, ſed aliter hos, aliter illos ſentire. Sic poſſunt eſſe Catholici, qui dicunt Papam eſſe inferiorem Concilio. Sed quid ipſi Ieſuitæ, hoc eſt, medulla Papiſmi, hac de re ſtatuant, videamus, nam illorum ſententia hodie inter Papiſtas ferè dominatur ac principatum tenet, & de Quæſtionis ſtatu quæramus.

Bellarminus ergo duobus modis Papam cū Concilio comparari poſſe affirmat. *Primò*, ut ab una parte ſumatur ſolus Papa, ab altera Concilium generale, cui pręſit per ſe, vel per legatos, ita vt nihil definiatur ſine conſenſu ipſius. *Secundò*, vt ſumatur ab vna parte ſolus Papa, ab altera Conciliū generale, cui Papa nec per ſe, nec per ſuos legatos præſit, hoc eſt, quod ſine authoritate Papæ indicitur, & cogitur, imò quod cogitur contra Papam, vt eum ſcilicet deponat, & de ſua ſede deijciat. Ergo circa quam comparationem verſatur hæc Quæſtio? Bellarminus ait, circa ſecundam, quia mota eſt hæc quæſtio circa Papæ depoſitionem, vtrùm poſſet à Cōcilio invitus iudicari & damnari necnè. Si verò Papam cum Concilio coniungamus, ſic vt nihil ſine eius conſenſu definiri poſſit, nūquam poterit tale Concilium Papam invitum depone-

deponere. Igitur de Quæstione hoc modo proposita quid statuendum est? Tres (inquit) sunt doctorum opiniones. *Aliqui* putant Papam esse supra Concilium, nec posse invitum à Concilio iudicari, at posse ipsum sese Concilio subijcere, & suam causam Concilio iudicādam permittere, & si tunc damnatus & depositus fuerit, acquiescendum ei esse in Concilij decreto. Et hæc est opinio quorundam Canonistarum. *Alij* sic Papam esse supra Concilium dicunt, vt ne possit quidem se eius coactivæ sententię subijcere, sic enim loquuntur, sed debere illum Cōcilium iudicare, quia est absolutè supra Cōciliū. Quare etiamsi causam suam committeret Concilio discutiendā, posse tamen eam postea cùm velit resumere. Et hæc est Bellarmini, & omniū hodie Papistarū sententia. Alvarus Pelagius in 1. lib. de planctu Ecclesiæ art. 6. sic scribit. *Synodus universalis Papam iudicare non potest. Plus standum est sententiæ solius Papæ, quàm totius mūdi. Omnia Concilia recipiunt ab ipso potestatem.* Augustinus Anconita in lib. de potestate Ecclesiæ quæst. 6. art. 6. ait *maiorem esse potestatem in Papa, quàm in Concilio, maioritate actuali* (sic enim ille loquitur) *sed contrà maiorem esse potestatem in Concilio maioritate habituali, quia mortuo Papa, non moritur hæc potestas, sed manet in Ecclesia & Concilio habitualiter, quam tamen actu exercere non potest sine Papa* (præclarus certè habitus, qui nunquam in actum venit) *sed in Papa actualiter esse, illum posse plus*

agere,

agere, quàm totum Concilium. Sic illi nugantur. Hoc quoque probat Ioannes de Turre cremata lib. 2. cap. 93. & deinceps etiam fusiùs, *Papam à nullo iudicari posse extra causam hæreseos, nec posse se cuiusquam sententiæ submittere*. Sic Dominicus Iacobatius lib. 10. artic. 7. de Conciliis, ubi multas leviculas & inutiles rationes affert. Antonius Delphinus in lib. 2. de Ecclesia ait, *Concilium esse supra Papam, scientia, prudentia, doctrina, Papam supra Concilium, potestate, authoritate, iurisdictione*. Canus lib. 5. cap. 5. sic scribit. *Pondus Concilijs dat summi Pontificis & gravitas & authoritas, quæ si adsit, centum Patres satis sunt, sin desit, nulli sunt satis, sint quamlibet plurimi*. Ex quo intelligimus, authoritatem Cōcilij pendere à Papa iuxta illorum sententiam, totum authoritatis pondus in eo residere, & penes eum esse, adeo vt si ille absit, etiamsi omnes Episcopi in unum conveniant, nullam tamen authoritatem habebunt. Caietanus Cardinalis duos hac de re tractatus edidit, qui inter eius Opuscula habentur, in quibus Papam Concilio anteponit. Pighius in lib. 6. de Ecclesiastic. Hierarchia cap. 13. sic scribit. *Certius est iudicium Papæ, quàm iudicium generalis Concilij, aut totius orbis terrarum*. Et in eadem sententia est Hardingus noster in libro suo contra Apologiam Ecclesiæ Anglicanæ parte 6. cap. 5. sect. 1. & Sanderus lib. 7. de visib. Monarchia. Quid ego alios commemorem? Sic Iesuitæ, sic Bellarminus Papam esse absolutè supra Concilium, in lib.

lib. 2. cap. 17. Hanc verò Papæ potestatem in istis ferè rebus constituunt. *Primò* Concilium nō posse indici aut congregari sine authoritate Papæ, deinde non posse celebrari, tum nō posse aliquid definire, non posse dissolvi, non posse inquirere in fidem, in vitā, in mores Papæ, etiamsi ipse voluerit Concilio se subijcere, imo etiamsi ipse iuraverit se velle illius decretis stare & acquiescere. Sic enim Ioannes de Turre cremata lib. 2. cap. 104. Idem etiam lib. 3. cap. 44. ait *Papam tribuere Concilio suum esse & formam*. Ergo ille cum vno aut altero Cardinali potest Concilium celebrare. Vbi enim ille est, ibi est Concilij essentia. Præterea statuunt Concilium non posse Papam iudicare, nec leges ei præscribere, nec damnare, nisi planè constiterit eum esse hæreticum, & tum etiam non damnari ipsum authoritate Concilij, sed ipso facto desistere esse Pontificem. *Tertia* opinio est eorum, qui dicunt Concilium omnino esse supra *Papam*, & hæc est opinio omnium *Protestantium*; & multorum etiam *Papistarum*, vt postea audietis. Nam multi Papistæ, etsi dant Papam esse caput & Pastorem singulorum Christianorum, & singularum etiam Ecclesiarum, si sumantur seorsim: non tamen concedunt esse caput totius Ecclesiæ simul in Concilio congregatæ; tum enim Ecclesiam accipere formam integri corporis, & totam potestatem vnitā esse, quæ prius sparsa erat; vt quanquā superior singulis sit, non tamen totā Ecclesiâ

ſiâ, quæ in Concilio repræſentatur, ſuperior habendus ſit: quemadmodum Dux Venetiarum eſt ſupra ſingulos magiſtratus, non autem ſupra totum ſenatum. Hæc eſt opinio quorundam Papiſtarum, ſed non eſt opinio Ieſuitarum, qui nunc vivunt.

Noſtra verò ſententia, quę cum ipſius Scripturæ & veritatis voce conſentit, hęc eſt: Papam, cùm ſit vnius tantùm Eccleſiæ Epiſcopus, non modò non omnibus Epiſcopis congregatis, ſed ne ſingulis quidem ſparſis ſuperiorem eſſe. Idcirco nos dicimus Concilium poſſe etiam Papa invito decernere, poſſe Papæ cauſam cognoſcere, poſſe Papā iudicare & in ordinē cogere, poſſe Papæ leges præſcribere, quæ ſuas vires habeant etiam invito Papa, poſſe denique Papam damnare, & ſuo munere abdicare, ſi dignus ea pœna fuerit. Et de ſtatu Quæſtionis hactenus.

CAPVT 2.

In quo Adverſariorum argumenta proponuntur.

IAm ad argumenta veniamus, & quorum opinio melioribus nitatur argumentis, videamus, illorúmne, an noſtra. Iacobatius hac de re magnum volumen edidit, quod ille tamen tractatum vocat, & alij multi multa argumenta attulerunt. Sed Bellarminus omnia in ſummam redegit lib. 2. cap. 17. & quinque tantùm argu-

mentis

mentis contentus est, quæ ille omnia ex Iacobatio & alijs sumpsit. Reliqua verò, quæ pluribus & fusiùs ab illis disputātur, indigna planè sunt, quæ recenseantur. Hæc igitur quinque Bellarmini argumenta examinemus.

Primum argumentum est huiusmodi. Papa est pastor & caput non solùm omnium Ecclesiarum particularium, sed etiam totius vniversalis Ecclesiæ simul congregatæ, à Christo immediatè constitutus: ergo est supra Cōcilium. Ratio optimè sequi videtur. Sed *respondeo*: antecedens nullo modo concedi oportere. Nam Papam esse vllo modo Ecclesiæ caput, est axioma maximè blasphemum, & λῆμμα falsissimum, impudentissimum, & Antichristianissimū. Solus Christus est caput Ecclesiæ, vt suo loco docebimus. Nullus homo, nullus Episcopus, hunc sibi titulum vendicare potest. Ergo si ille solus sit supra Concilium, qui est Ecclesię caput, tum solus Christus supra Concilium est. Et veriùs quidem Concilium est supra Papam, cùm Cōcilium potiùs sit Papæ caput, quàm Papa Concilij. Hoc argumentum breviter proposuit Bellarminius, quia novit antecedentis confirmationem ad alium locum pertinere. Iam ergo sufficiat nobis negando illud removere. Sed secundum argumentum diligentiùs fortasse ab illo tractatur. Ad illud ergo transeamus.

Secundum Bellarmini argumentum sumitur à ratione in Scripturis fundata, vt loquitur ille. Atque hîc accipite horrendam & inauditam

 blasphe-

blaſphemiam, quam ego velim vos ſemper memoria tenere. Ait enim omnia illa nomina, quæ in Scripturis Chriſto tribuuntur, vnde conſtat eum eſſe ſupra Eccleſiam, eadem omnia tribui Romano Pontifici. Quæ hæc blaſphemia eſt, omnia Chriſti nomina, ex quibus intelligitur eum eſſe ſupra Eccleſiam, Papæ communicari? Hoc ſi verum ſit, tum fateamur neceſſe eſt datum eſſe Papæ nomen ſupra omne nomen, & ſic non ſoli Chriſto hoc conveniet, quod tamen illi ſoli tribuitur, Philip. 2.9. & Act. 4.12. Nam ex eo quòd ad tantam dignitatem evectus eſt, conſtat illum eſſe caput Eccleſiæ. Sic enim Apoſtolus diſputat Epheſ. 1.21.22. Iam verò hoc nomen arguit eum aſſecutũ eſſe ſummam authoritatem. Quis ergo non videt eum eſſe Antichriſtum, qui hoc nomen ſibi audeat arrogare? *P*ræterea ſi hoc verum ſit, quid impedit quo minùs dicamus *P*apam eſſe σωτῆρα Eccleſiæ, nam hoc nomen Chriſto tribuitur, quatenus eſt ſupra Eccleſiam Epheſ. 5. 23. καὶ αὐτὸς ἐστι σωτὴρ τοῦ σώματος. Sic ille etiam Ieſus noſter & Chriſtus appellabitur, & quidni etiã mediator? quod tamen vni Chriſto tribuitur, 1. Tim. 2.5. Prȩterea tum illa ei nomina tribui poſſe fatendum eſt, quæ habentur Coloſſ. 1.18. ἀρχὴ καὶ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, *Principium & primogenitus ex mortuis*. Hinc enim Chriſtum conſtat eſſe Eccleſiȩ caput, & hæc illi nomina vt Eccleſiȩ capiti tribuuntur, quemadmodum ex eodem loco apparet. Tum etiam in eo omnis plenitudo

do Deitatis habitat verſ. 19. & tum omnia reconciliavit in cœlo & in terra, vt eſt verſ. 20. Sequitur etiam vt eum noſtrum Immanuelem dici poſſe fateamur, & Dei filium vnigenitum, & Deo ὁμοούσιον, & hæredem omnium Heb. 1. 2. Præterea Papa tum dici poteſt (quod quidem ille fortaſſe ſibi vendicabit) ποιμὴν ὁ μέγας, & ἀρχιποίμην, quæ tamen ſunt vnius Chriſti. Heb. 13. 20. & 1. Pet. 5. 4. Præterea, tum etiam dici poteſt Alpha & Omega, Apoc. 1. 8. & leo de tribu Iuda, & radix Ieſſe, Apoc. 5. 5. Hæc enim nomina Chriſto vt capiti Eccleſiæ tribuuntur, eumque eſſe ſupra Eccleſiam declarant. At hæc Papæ aut cuiquam mortali niſi per ſacrilegium & blaſphemiam tribui non poſſunt, cùm Chriſto vt ſua, & propria, & ἀκοινώνητα tribuantur. Velim vos huius Papiſticæ blaſphemiæ perpetuò memores eſſe. Sed tamen quomodo Bellarminus ſuam iſtam blaſphemiam defendat, videamus. Proponit ille quatuor nomina (ſic enim ſolent iſti ratiocinari) quæ Chriſto tributa, communicantur etiam Papæ. Sed quid? num ſi quatuor nomina, quæ tribuuntur Chriſto, communicentur Papæ, ergóne omnia? Non ſequitur. Quatuor verò hæc nomina ſunt, Paterfamilias, Paſtor, Caput, Sponſus. *Reſpondeo*: Duo quidem priora ſic Chriſto tribuuntur, vt alijs etiam conveniant, licèt non eodem modo, ſed duo poſteriora ſunt planè ἀκοινώνητα. Nam quædam Chriſti

nomina ſic Chriſto tribuuntur, vt aliis conveniant, quædam verò vni Chriſto conveniunt, nec alteri cuiquam communicari poſſunt. Poſſunt quidem duo priora aliis cōvenire æquivocè vel analogicè, nunquam autem vnivocè. Chriſtus enim Paterfamilias & paſtor dicitur, ſic etiam alii, etſi diverſo modo. Chriſtus enim paterfamilias dicitur & paſtor, quia totam familiam & totum gregem Dei paſcit & regit. Alij verò patresfamilias & paſtores dicuntur, quia particulares quaſdam familias & greges paſcunt & gubernant, qui tamen magni huius paſtoris & patrisfamilias non niſi famuli ſunt. Sic ne iſta quidem eo modo aliis quo Chriſto tribuuntur. Sed quædam nomina ita Chriſto tribuuntur, vt non alteri vlli aliquo modo convenire poſſint, cuiuſmodi ſunt, caput, & ſponſus. Sic quædam nomina Dei *κοινὰ* ſunt, quædam *ἴδια*. Quædam enim nomina Deo tribuuntur, quæ conveniunt etiam hominibus, ſed non ſimiliter & eodem modo Deo & hominibus. Deus enim dicitur Pater, Dominus, Rex, quæ nomina etiam hominibus conveniunt, ſed non ita vt Deo. Alia verò ſic Deo tribuuntur, vt nullo modo homini convenire poſſint, vt Iehova, creator, omnipotens, & huiuſmodi. Ergo etiamſi concedamus, quædam nomina Papæ tribui, quæ Chriſto tribuuntur: non tamen ſequitur omnia Chriſti nomina illi tribui. Sed de quatuor iſtis nominibus, quæ à Bellarmino cōmemorantur, ſeorſim videamus, & primò de

pa-

patrefamilias. Hoc nomen Christo tribuitur, inquit. Fatemur. Sed vbi Papæ? Papa est summus œconomus, inquit, & hoc probat ex Luc. 12. Vbi Christus ait, *Quis est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Intelligo. Episcopum verò dispensatorem dici probat ex Ambrosio & Hilario in hunc locum, & ex Hieronymo in Matth. 24. *Respondeo:* Fateor Episcopũ œconomum dici. Quorsum opus fuit his testimoniis, vt hoc probaret? Nam ipsa Scriptura hoc apertè docet. 1. Cor. 4. 1. 2. Sed nihil adhuc audio de Romano Pontifice. Non pertinet hoc ad illum propriè, quia non ad Petrum propriè pertinet. Paulus ait, οὕτως ἡμᾶς λογιζέσθω ἄνθρωπος ὡς ὑπηρέτας χριστοῦ, καὶ οἰκονόμους μυστηρίων θεοῦ. Sed Bellarminus ait, etsi hi Patres non expressè de Papa loquantur, tamen ea est procul dubio Scripturæ sententia. Sic ille cùm desunt argumenta, fugit semper ad suum illud (procul dubio.) Sed afferat vnum antiquum Patrem, qui hunc Scripturæ locum sic interpretatur. Nullum certè proferre potest. Ergo ille procul dubio fallitur & errat. Ambrosius per dispensatores sacerdotes intelligit in genere, non Papam in specie. Hilarius in Mattheum, canon. 27. ait, *etsi omnes debent advẽtum Christi expectare, tamen hanc expectationem præcipuè præcipi Episcopis,* nõ soli Papæ. Quæ hæc impudentia est, ad vnũ Pontificem rapere, quod ad omnes ex ęquo Episcopos pertinet? Quid ego alios Patres commemorem? Sed ait Ambro-

ſium vocare Damaſum *rectorem domus dei*, in comment. in 1. Tim. 3. Eſto, tamen non affirmat Ambroſius eum eſſe vel ſolum rectorem, vel rectorem totius domus Dei. Sed de hoc loco alibi diximus. *Secundum* nomen eſt Paſtor. Hoc (inquit) de Chriſto dicitur. Illud quidem nulli dubium eſt, nec hoc quiſquam unquam in quæſtionem vocavit. Ait enim Chriſtus ipſe de ſe Iohan. 10. *Ego ſum Paſtor ille bonus*. Sed vbi hoc Romano Pōtifici tribuitur? Reſpōdet Adverſarius idem Petro communicari Iohan. 21. vbi Chriſtus Petro ait, *Paſce oves meas. Reſpondeo*: Eſto. Dixerit Chriſtus Petro, *Paſce oves meas*: ergóne fuit ille paſtor vniuerſalis Eccleſię? an ille aliter paſcere iubetur, quàm alii Epiſcopi? Fateor hoc quoque nomen aliis quàm Chriſto tribui quadam ratione, ſed non ſoli Petro, aut Papæ. Debuit ille probare ſpecialiter hoc Petro tribui, aut ſaltem magis ſpecialiter quàm aliis. Epheſ. 4. ſcribitur Chriſt[illegible] dediſſe *alios Paſtores & Doctores*, Vbi videmus hoc nomen non vni Petro tributum eſſe, ſed alijs præterea Eccleſiarum miniſtris & præfectis. Nullus planè eſt Scripturæ locus, in quo hoc ſpecialiter Petro aut Papæ tribuitur: ergo hæc omnia infirma ſunt, & maximè quod hinc infert, Papam eſſe ſupra Concilium. Sed nec illud ſequitur, quod poſtea affirmat, nempe vt œconomus non poteſt expelli à famulis etiā ſimul congregatis, nec ab alio quoquā, niſi totius familiæ domino puniri: nec grex poteſt aliquam authoritatē exercere

cere in Paſtorem;ita nec Papam poſſe à Concilio abdicari. Nam ſi hoc verum ſit,tum omnes Epiſcopi & Paſtores, quicquid faciant aut doceant, Chriſti ſolius iudicio permittendi & reſervādi ſunt. Sunt enim omnes Epiſcopi Paſtores & Patresfamilias. Sed nimis vrgentur hæ ſimilitudines ab Adverſario,nimis abſurdè in his metaphoris inhæret. Nam cùm Epiſcopi dicantur Patresfamilias,& Paſtores,hanc ſimilitudinē ſic ille vrget,vt quemadmodum paſtor ovibus præeſt,ſic vt oves nullum in paſtorem imperium habeant, ita ille Epiſcopum populo præeſſe velit, quaſi populus inſtar pecudum ſit, vel quaſi neceſſe ſit omnia eſſe in Epiſcopis, quæ in paſtoribus & patribusfamiliâs inveniuntur. Sed ſciendum eſt Epiſcopos & miniſtros paſtores dici,& patresfamilias,non ſimpliciter,ſed ſecundùm quid,nec populum ſimpliciter ſervis comparari vel pecudibus,ſed reſpectu quodam. In hac quidem re non valent hæ ſimilitudines, ad quam ab Adverſario adhibentur, ſed in hoc tantùm tenent,quòd quemadmodum paſtor debet gregem ſuum paſcere ſalutari cibo,& paterfamilias debet familiam ſuam prudenter regere:ita miniſtri debēt ſuas particulares familias,& greges,pari vel potiùs maiori prudentia & ſedulitate paſcere & regere. Vlteriùs non ſunt vrgendæ hæ ſimilitudines. De duobus nominibus diximus, quæ Chriſto cum aliis communicari poſſunt, nunc ſequūtur illa duo, quæ incommunicabilia ſunt,ac propterea nulli prę-
terquam

terquā Christo possunt convenire. Quorū primum est caput. Id Christo soli tribuitur, nam ille solus est caput corporis sui, hoc est, Ecclesiæ, vt suo loco docebimus, vbi distinctionem illam de principali & instrumentali capite tollemus. Sed tamen Adversarij Papæ etiam hoc tribuunt. Nec mirum est eos Papam Ecclesiæ caput appellare, cùm & cor etiam Ecclesiæ esse dicant. Sic enim Augustinus Anconitanus quæst. 19. artic. 2. Papam esse cor Ecclesiæ affirmat, *quia maiori scientia & prudentia præditus est, quàm reliqui Episcopi*, quod tamen non semper, imò rarò evenit. Christum quidem dici Ecclesiæ caput passim in Scripturis intelligo. Sed libenter scirem, vbi hoc Papæ communicatum sit. Expecto igitur locum aut testimonium aliquod Scripturæ, vnde Papam esse caput Ecclesiæ constet. Sed Scripturam nullā affert Adversarius, qua probet aut Papam, aut quenquam omnino hominem caput Ecclesiæ dici. Tantùm ait hoc haberi in Concilio Chalcedonensi act. 3. At ego Scripturas requiro. Aut afferat Scripturas, aut in hac causa obmutescat. Hoc enim Concilium nullū divinæ authoritatis pondus habet. In illo quidem Concilio legati Leonis, vt sui Domini sedē exornarent, Petrum vocant *petram & crepidinē Ecclesiæ.* Et quidem fateor, Petrum vt Apostolum, aliquo modo petram, aut fundamentū, aut crepidinē Ecclesię dici posse, at caput vniversalis Ecclesiæ nusquā in Scripturis aut Patrib⁹ antiquis

tiquis appellatur. Neq; enim eadẽ eſt ratio per omnia fundamenti, & capitis, ac propterea nõ ſequitur,quia fundamẽtũ dicitur,ideo caput dici. Nam caput occultam quandã & vitalem vim ſignificat,quæ non item in fundamento ſignificatur. Fundamentum ſuſtinet ædificium, & ſic Epiſcopi & paſtores hanc vim in Eccleſia habere poſſunt, vt eam labantem & vacillantem ſua prudentia ſuſtentent. Itaq; non magnopere hoc nomen Romano Pontifici inviderem, ſi verus Epiſcopus eſset, quia omnibus Epiſcopis quadam ratione convenire poteſt. At capitis ea vis eſt, ut vitam reliquis membris tribuat, & communicet,quam nemo niſi ſolus Chriſtus Eccleſiæ communicare poteſt; ergo capitis nomen nulli niſi Chriſto convenire poteſt. Habetur tamẽ tale aliquid in literis, quas Patres illius Cõcilij ad Leonem ſcribunt, in quibus eum ſic alloquuntur. *Nobis tu ſicut membris caput praeeras.* Vnde Papã eſſe Eccleſiæ caput arguit Bellarminus. Sed iſta ſic ab illis dicuntur,non ut faciãt Papã caput univerſalis Eccleſię, ſed vt ſignificẽt illũ per Legatos ſuos,Bonifaciũ,Paſchaſinũ, & Lucentium, prudenter Concilium rexiſse, quemadmodum caput reliqua membra regit. Atq; in hoc tantùm ei authoritatẽ quandã tribuebant. Sic tamen tota hæc res urgetur ab Adverſarijs, quaſi eum his verbis caput vniverſalis Eccleſiæ hi Patres conſtituerent. Hæc de capite dixit Bellarminus ſine aliquo Scripturæ teſtimonio. Sed cùm de rebus fidei agamus, ęquum eſſet,

esset, ut Scripturis premeremur. Hoc autē cùm non potest facere, conquirit vndiq; alia adminicula, quasi fides nostra humanis testimoniis nitatur. *Secundum* Christi nomen ἀκοινώνητον est sponsus Ecclesiæ, quod nomen Christo tribuitur Eph. 5. 25. *Viri vxores vestras diligite, sicut Christus dilexit Ecclesiam suam.* Quibus verbis Christi coniugalis amor erga Ecclesiam declaratur. Et 2. Cor. 11. 2. ἡρμοσάμην ὑμᾶς ἑνὶ ἀνδρὶ παρθένον ἁγνὴν παραστῆσαι τῷ χριστῷ. *Præparavi vos tanquā virginem castā vni viro*, non Petro aut Apostolo cuiquā, multò minùs Papæ, sed soli *Christo*. Iohan. 3. 29. *Qui habet sponsam, sponsus est*, ait Iohannes Baptista. Hic autem Christus solus est. Nullus enim Apostolus sponsam habuit, sed fuerunt omnes amici tantùm sponsæ, vt de se Iohannes Baptista eodem in loco loquitur. Apoc. 21. 2. *Vidi novam Ierusalem descendentem à Deo è cœlo præparatam*, ὡς νύμφην, *tanquam sponsam ornatam viro suo*, nempe Christo. Hose. 2. 19. *Despondebo te mihi in seculum.* Atque hæ quidem nuptiæ inter Christum & Ecclesiam mysticè & metaphoricè celebrantur in Cantico Canticorum, & Psalm. 45. Christus enim & Ecclesia sunt vnum corpus, vna caro, coniugali amoris vinculo coniuncti & colligati. Et hoc nullì omnino mortali convenit, vt Ecclesię sponsus dicatur, sed solì Christo. Dicuntur quidem homines aliquando amici sponsi, & lætati sunt, quando sponsum viderunt, & audiverunt loquentem, sed nemo quantumvis excellenti

lenti pietate præditus, ausus est vnquam se sponsum appellare, non Petrus, non Paulus, non Iohannes Baptista, quo tamen nullum inter filios mulierum maiorem extitisse Christus affirmat, quia hoc ad unum Christum pertinere sciebant. Nec ulla unquam Ecclesia, nisi adulterina, quemquam præter Christum sponsum agnovit. Nam Romana Ecclesia, quæ Papam sponsum vocat, pellex & meretrix est. Isaias, Ioannes, Petrus, & reliqui, tum Prophetæ, tum Apostoli, in his nuptiis conciliandis Christo inservierunt, & in hoc laborârunt, vt hanc sponsam illì sisterent: ergo paranymphi aut amici sponsi dici potuerunt, sed illos sponsos fuisse nullo modo concedendum est. Et sic quidem Bernardus in lib. 1. de consideratione vocat Papam Eugenium non sponsum, sed paranymphum, & amicum sponsi. Et Ecclesia nullì se obstrinxit in Baptismo, nisi Christo, illì se totam addixit, & consecravit, denique illì solì liberos procreat. Qui ergo volunt ipsi dici Ecclesiæ sponsi, cùm Ecclesiam Christo potius conciliare studerent, ij revera perfidi rivales sunt. Tamen hoc nomen Petro & Papæ tribui posse Bellarminus contendit. Sic Augustinus Anconitanus quæst. 19. artic. 1. Sic Ioannes de Turre cremata lib. 2. cap. 27. Similiter Hardingus. Sed absit vt nos tantam blasphemiam feramus, & tam impuro sponso virginem tam castã addicamus. Sed benè est quòd Christum solum propriè Ecclesiæ sponsũ esse cõcedant Adversarij,

ſarij, Papa ergo non eſt propriè ſponſus, & ſi poſſet vllo modo ſponſus dici quiſquam præter Chriſtum, non tamen aliter ſponſus diceretur Papa, quàm alij miniſtri. Sed audiamus quomodo Bellarminus probat Papam Eccleſiæ ſponſum eſſe. Hîc illî aqua hæſit. Sic enim in hoc nomine agit, ut in ſuperiori. Ne apicem quidem Scripturæ affert. De tali enim ſponſo ne cogitavit quidem Spiritus Sanctus in Scripturis. Imò non modò nullum Scripturæ locum affert, ſed nec Patrem vllum, nec vllum omnino antiquum Concilium. Tantùm ergo affirmat ille Papam eſſe ſponſum Eccleſiæ, ſed non probat. Tandem eò delapſus eſt, ut Lugdunenſe Concilium afferat, quod habitum eſt annis 1240. poſt Chriſtum, in quo Papa Eccleſiæ ſponſus dicitur. Sed hoc Concilium fuit Antichriſtianum, & tyrannicum, cui Innocentius quartus præfuit, verus Antichriſtus, qui in eodem Concilio Fridericum Imperatorem indictâ causâ damnavit. Et ſic tandem ad huius ſecundi argumenti exitum pervenimus.

Tertium Bellarmini argumentum ſumitur ex verbis expreſſis Conciliorum & Pontificum Romanorum. Hîc poſſem eſſe multus, ſed nolo tempus terere in rebus minùs neceſſarijs. Hæc tamen non ſunt à nobis penitus prætermittenda. Ait Bellarminus, Concilia agnoſcere Papam eſſe ſuum caput, & ſupra ſe, & Papas hanc ſibi authoritatem ſumpſiſſe. Si ergo inter ſe Concilia & Papæ conveniunt, quid opus eſt,

vt

vt nos litigemus? *Primum* Concilium à Bellarmino citatum, eſt Concilium Sinueſſanum, in quo hæc verba habentur in fine Concilij, *Prima ſedes à nemine iudicabitur.* In eo Concilio Marcellinus Papa damnatus fuit, quòd Idolis ſacrificâſſet. *Reſpondeo 1:* incertum eſſe, an huiuſmodi aliquod Concilium unquam habitum fuerit. Nullam enim de hoc Concilio mentionem facit Euſebius, nec quiſquam antiquus & fide dignus author. 2. Si fuit tale aliquod Concilium, veriſimile eſt congregatum fuiſſe, ut de illo Marcellini ſcelere cognoſceret, eumq; tanquam Apoſtatam damnaret. Nam quorſum alioqui conveniret? Ergo Pontifex Romanus à Concilio iudicari & damnari poteſt. 3. Quòd in illo Concilio legitur & habetur *primam ſedē à nemine iudicandam eſſe*, id non ita intelligendum eſt, quaſi Pontifex Romanus ſit ſupra Concilia generalia. Nam *primò* fuit hoc Concilium particulare illius provinciæ. *Secundò*, nolebant iudicare, non quòd non poſſent, ſed quòd non eſſet opus. Nam in actis illius Concilij, quod in primo tomo Conciliorum habetur, Marcellinum legimus à Concilio vocatum fuiſſe, & accuſatum, quòd idolis ſacrificâſſet, illum adfuiſſe, & negaviſſe primò, poſtea verò teſtimoniis convictum, ſcelus ſuum agnoviſſe, & ſeipſum damnâſſe. At Sabellicus Ennead. 7. lib. 8. ait illum *vltrò Concilium congregâſſe, & ſeipſum accuſâſſe.* Quod ſi verum ſit, tum Concilio non opus fuit primam ſedem, id eſt, Epiſcopum

copum primę ſedis iudicare. *Secundum* Concilium à Bellarmino propoſitum eſt Concilium Romanum ſub Sylveſtro, quod etiam in primo tomo Conciliorum reperitur, vbi ſimiliter habetur, *primam ſedem à nemine iudicandam eſſe. Reſpondeo*: hoc quoque Concilium adulterinum eſſe & ementitum, de quo nullus antiquus & bonus author meminit, quamvis in Conciliorum tomis habetur. Multa enim in illis tomis, qui nunc extant, habentur, quæ ficta eſſe conſtat. Ita adulterinis Concilijs & decretis rem Romanam agunt, & cauſam Pontificiam tuentur Ieſuitæ. Quàm verò præclarum hoc Concilium fuit, ex eo colligi poteſt, quòd in eo cautum & decretum eſt, Epiſcopum non niſi à ſeptuaginta duobus Epiſcopis damnari oportere. In quo cavent illi ſatis ſuis Epiſcopis, ne damnentur. At aliter Paulus 1. Tim. 5. 19. *Adverſus Presbyterum accuſationem ne admittito, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Tertium* Conciliũ à Bellarmino citatum eſt Chalcedonenſe in actione. 3. quod quidem fateor fuiſſe Oecumenicum & legitimum. Sed hoc Concilium maximè facit contra Papæ tyrannidem, vt poſtea patebit. Æquavit enim Epiſcopum Conſtantinopolitanum Romano Epiſcopo. Cùm ergo illud decrevit, quod Papæ diſplicuit, hoc arguit Papam non fuiſſe ſupra Concilium, Sed quid habetur in hoc Concilio? In tertia actione (inquit) recitantur multæ Epiſtolæ ex variis locis ſcriptæ ad Concilium, in quibus omnibus Leonis

onis

onis nomen Concilio præponitur & præfigitur. *Respondeo*: Quòd ait multas Epiſtolas ibi recitari à varijs locis ſcriptas; falſum eſt. Tres enim tantùm Epiſtolæ recitantur ex vrbe Alexandrina, à tribus illius Eccleſiæ Diaconis ſcriptæ, contra ſuum Epiſcopum, in quibus illi quidem Leonem præfigũt Concilio in inſcriptione. Sic enim inſcribunt. *Sanctiſſimo & beatiſſimo univerſali Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & ſancto univerſali Concilio congregato in Chalcedonenſi civitate &c.* Sed huius rei hæc ratio erat, quòd poſt Imperatorem & iudices Senatorios, primus ille fuit inter Epiſcopos, non quòd ſupra totum Concilium fuit. At in actione, 14. Epiſtola habetur, in cuius inſcriptione tres Epiſcopos Concilio præfixos legimus in hunc modum. *Sanctiſſimis Patribus, Archiepiſcopis, Leoni, Anatolio, Maximo, & omni ſancto Concilio.* Ergo ſi hæc bona ratio ſit, Leo ſolus nominatur, & tum Concilium: ergo Leo fuit ſupra Cõcilium; tum ſequetur hos tres Epiſcopos fuiſſe ſupra hoc Concilium, nõ ſolum Papam. Sed aliud gravius argumentum affert, Dioſcorũ fuiſſe in eo Concilio dãnatum, quia ipſe iudicare & damnare auſus fuerat Leonem Romanũ Põtificem in Cõcilio Epheſino, & Bellarminus ait, ſi Dioſcorus, qui erat Patriarcha Alexandrinus, id eſt, primus poſt Romanũ, cum generali Cõcilio nõ potuit iure Romanũ Pontificẽ iudicare; ſequitur evidenter Concilium nõ eſſe ſupra Pontificem. *Respondeo*: Non ſequitur argumentum.

mentum. Nam *primò*, qui quemvis Episcopum Catholicum damnat, nedum talem & tantum Episcopum, is dignus certè est, qui damnetur ipse. Damnavit verò illum Dioscorus inauditum, & indictâ causâ, temere, & tyrannicè. Hoc illi Patres obijciunt, & quòd omnia in illo Concilio per vim gessisset. 2. Damnatus est Dioscorus cum Cōcilio Ephesino propter alia multa scelera, nempe propter homicidium, & hæresin, de quibus multorum testimonijs convictus fuit, quemadmodum cuivis Chalcedonensis Concilii actiones legenti apparebit. Et tamē non pudet Bellarminum affirmare eum non tam ob alia scelera, quàm propter damnatum Episcopum Romanum, à Concilio Chalcedonensi damnatum fuisse, quasi in damnatione Romani Pontificis omnia scelera inessent. Deinde affert Bellarminus minuta quædam & Antichristiana Concilia, de quibus ego nullum verbum respondebo. Horum vnum est Concilium Lateranense vltimum in sess. 11. sub Leone decimo, paucis annis ante Lutherum celebratum, in quo hæc verba habentur. *Manifestè constat* (sic enim Leo ille cum suo clero Antichristiano rugit) *solum Romanum Pontificem, tanquam super omnia Concilia authoritatem habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum, plenum ius & potestatē habere, nedum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, sed propria etiam eorundem Conciliorum cōfessione.*

fessione. Hæc Concilii verba sunt. Sed nos hoc Concilium non moramur. Et Bellarminus ipse fatetur dubium esse, an Concilum hoc decretũ fecit de fide Catholica tenendum, ac propterea non esse propriè hæreticos, qui contrarium sẽtiunt. Ita non est hæreticum dicere Papam esse infra Concilium, etsi Concilii verba sunt manifesta. Sequuntur deinceps testimonia quædam ex decretalibus Epistolis Pontificum Romanorum, quæ quia meræ quisquiliæ sunt, in illis non immorabor. Et de tertio argumento non est quòd plura dicamus.

Quartum Bellarmini argumentum sumitur ex appellationibus à Concilio ad Papam. Et hîc multæ ab illo narrantur appellationes, de quibus non necesse est sigillatim respondere. Sed respondeo in genere quatuor. *Primò*, istas, quas vocant, appellationes non fuisse similes forensibus appellationibus, quando à minore iudicè ad maiorem appellatur, sed olim Episcopi, qui fuerunt à tyrannis & hæreticis oppressi, ad quemvis confugerunt, quem illis aliquo modo succurrere posse sperabant. Hoc enim nobis naturâ insitum est, ut in miserĳs nostris undiq; opem & auxilium quæramus. Et quidem fateor solitos esse olim Episcopos suis sedibus expulsos ad Episcopum præcipuè Romanum cõfugere, nõ quòd is supra Cõcilia esset, sed quòd primus Episcoporum esset, & quòd nonnullã authoritatem haberet, qua ijs posset succurrere, & deniq; quòd innocentes perhumaniter tra-

ctare soleret. Et hoc illi vocant appellare, cùm veræ appellationes ad nullum nisi Imperatorẽ & iudices Senatorios factæ essent. *Secundò*, si Episcopi aliqui à particulari sive provinciali synodo ad Romanum Pontificẽ provocârint; hoc non probat illum esse suprà generale Conciliũ. Sic Athanasius Episcopus Alexandrinus, & Paulus Episcopus Constantinopolitanus in synodis particularibus damnati, & ab hæreticis de sedibus suis deiecti, ad Iuliũ Episcopũ Romanũ provocârũt. Sic Chrysostomus ad Innocentiũ, & alij ad alios. *Tertiò*, Aliquando legimus Episcopos nõ ad Pontificẽ, sed ad Imperatorẽ provocâsse, ut nos postea suo loco docebimus. Ergo ex hac ratione, Imperatores supra Conciliũ erunt. *Quartò*, respondeo istas tã crebras & tam liberas provocationes à Concilio ad Papã sæpiùs improbatas, dãnatas, & prohibitas fuisse. Sic legimus apud Cypr. l. 1. Ep. 3. Similiter in Concilio Carthaginensi sexto, cap. 92. vbi hæc verba habentur. *Ad transmarina iudicia qui putaverit appellandũ, à nullo intra Africã in cõmunionẽ suscipiatur*. Vnde facilè intelligi potest, huiusmodi appellationes nõ fuisse probatas. Atq; eiusmodi est quod habetur in Nicæno Conc. 1. can. 5. vbi decretũ legimus *vt qui excõmunicantur, ab alijs nullo modo in cõmunionẽ recipiantur*. Intellexerunt scilicet Patres illius Concilij multa inde incommoda in Ecclesia secuta esse, ac proinde huiusmodi appellationes ad Episcopũ Romanũ, aut aliũ quenquã prohibuerũt. Sed hoc iniquũ esse videtur, ut qui iniuriâ ab aliquo afficiuntur, ij ad

alios provocare prohibeantur. Igitur sequitur in eodẽ canone, licere provocare ad *illius provinciæ Episcopos in synodo congregatos.* Quare Patres illius Concilij non fuerunt in ea sentẽtia, vt existimarent licere à Concilijs generalibus ad Romanum Pontificem provocare. Hanc ergo Pontificis authoritatem in veteri olim Ecclesia penitus ignotam fuisse constat. Et de hoc argumento hæc dixisse sufficiat.

Quintum Bellarmini argumentum sequitur, ex approbatione Conciliorum sumptũ, quod huiusmodi est. Papa approbavit quædam Concilia, alia verò reprobavit: ergo est supra Concilium. Hoc infirmum est argumentum. Non enim aut qui rejicit Concilium, est supra Concilium, aut qui approbat. Nam tum sequetur, alios etiã Episcopos, à quibus hoc factũ esse constat, supra Concilia fuisse. Multi enim Episcopi pręter Pontificẽ Romanũ ista fecerunt. Et quędã Concilia, quæ Romano Põtifici displicebãt, tamen non sunt reprobata, vt Chalcedonense, & Constantinopolitanũ primũ, quẽadmodũ nos statim docebimus; quod invictũ argumentũ est, Concilium esse supra Papam. Sed ad hoc probandum affert quædam Concilia, quæ planè quisquiliæ sunt. Et quæ præterea adducit testimonia ex Gelasio, Damaso, Leone, Gregorio, nullius sunt momenti, quia non est æquum, ut Papæ in sua causa iudicent. Sed de Gregorio aliquid respondebo. Is in lib. 4. Epist. 34. ait *acta cuiusdam synodi, sede contradicente Apostolica,*

soluta esse. Respondeo: Manifestum esse ex hoc eodem loco, quàm penè nulla tunc temporis Romani Pontificis authoritas fuit. Nam in eadem Epistola graviter obiurgat Iohannem Episcopum Constantinopolitanum, quòd se Oecumenicum Episcopum appellaret. Et hoc fuit vnum ex illis decretis, quæ ipse soluta & abrogata esse ait. Tamen constat ex alia Epistola Iohannem nondum fuisse eo nomine privatum, sed in sua sententia perstitisse. Quicquid ergo ipse solverit, vel fecerit, Iohannes eius authoritatem non agnovit. Solvit ille quidem acta illius synodi, quantum in se fuit; interim Iohannes Episcopus Constantinopolitanus remansit idem qui priùs fuit, & habitus est nihilominùs Oecumenicus Episcopus. Ergo non statim soluta sunt omnia, quæ illi displicent. Et hæc quidem omnia Bellarmini argumẽta sunt, levia, futilia, commemoratione indigna.

Ioannes de Turre cremata lib. 3. cap. 44. alia quædam argumenta habet, quorum hoc unum egregium est, quod nullo modo est prætermittendum. Christus est supra Concilium. Nemo negat. At Papa est Christi Vicarius; ergo Papa etiam est supra Concilium. Rectè. Sed si hæc consequentia sit firma, quidni etiam & ista. Christus est supra cœlum & terram: at Papa est Vicarius Christi: ergo Papa etiam est supra cœlum & terram. Vel ista. Christo commissa est omnis potestas in cœlo & in terra; at Papa est Vicarius Christi; ergo Papa

etiam

etiam similiter omnis potestas in cœlo & terra commissa est. Sed nego Papam alio modo esse Vicarium Christi, quàm sunt alij Episcopi. Ambrosius in comment. in 1. Cor. 11. omnes Episcopos Christi Vicarios vocat. Verba eius hæc sunt. *Episcopus habet personam Christi, & est Vicarius Domini.* Imò Iacobatius in lib. 10. de Concil. artic. 7. in 6. argum. Papam non Christi tantùm, sed & Dei Vicarium vocat, & sicut nō potest præscribi contra verum Deum, ita nec contra eius Vicarium præscribi posse ait. Præterea, Dei & Papæ esse idem unumq; consistorium affirmat, Papamq; esse quasi corporalem quendam in orbe Deum. Et reprehendit eos, qui Papam vocârunt Petri Vicarium. Hanc ait esse impropriam loquutionem, quia est revera (inquit) Vicarius Dei, & Christi. Sicut nullus exercere iurisdictionem potest in Deum & Christum; ita nec in Papam. Meræ blasphemię. Sed sic illi insaniūt. *Secundo* loco sic disputat Ioannes de Turre cremata. Papa dat authoritatē Concilijs: ergo est supra Concilia. *Respondeo:* Non sequitur, vt qui dant aliquam authoritatem Concilio, ij sint supra Concilium. Sic enim Imperatores, sic omnes Episcopi erunt supra Concilium. Omnes enim Episcopi quodam modo addiderunt & detulerunt authoritatem Concilijs. Sed forsan ille sic intelligit authoritatem Concilijs dari à Pontifice Romano, vt sine illo Concilia non sint, quod falsissimum est. *Tertium* Cardinalis argumentum est huiusmodi.

di. Romanus Pontifex dat esse & formā Concilijs, quia sine eius authoritate nullum habitum fuit Concilium, sed quę sine eius authoritate celebrata sunt, ea Conciliabula potiùs & conventicula, quàm Concilia dicenda sunt: ergo Pontifex Romanus est supra Concilia. Sed falsum est antecedens. Fuerunt enim Concilia habita, quibus ille nullam authoritatem dedit, & in quibus nonnulla illo invito & repugnante sancita sunt. *Quartò* sic disputat. Romanus Pontifex est rector Conciliorum: rector verò in quovis conventu est supra eos, quos regit, quod tamē omnes falsissimum esse intelligunt. Nam princeps senatus non est supra totum senatum, totamq; Rempublicam. Atq; omnes quidē rectores non esse supra eos, quos regunt, ex Parlamentis nostris facilè intelligi potest. Eiusmodi ferè sunt reliqua omnia, quæ nobis in illo loco obiiciuntur. Et de Adversariorum argumētis hactenus.

CAPVT. 3.

In quo nostra argumenta proponuntur.

VEnio nunc ad causam nostram certis argumentorum præsidijs muniendam. Et nobis quidem in hac causa argumenta penè infinita suppetunt. Liceret enim mihi ex Adversariorū libris multa depromere. Sed paucis contentus ero. Non enim conabor numero, sed viribus, & argumentorum pondere certare.

Pri-

Primum nostrum argumentum sumitur ex verbis Scripturæ Matth. 18. 17. *Dic Ecclesiæ*. Ex quibus verbis sic argumentum instituo. Si Petrus ipse remittitur ad Ecclesiam, tanquam ad superius quoddam iudicium, & tribunal, & iubetur ad eam aliorum delicta & offensiones deferre; tum sequitur Ecclesiam Petro vel quoquam alio authoritate maiorem esse & superiorem. At primum verum, ergo & secundum. Assumptio disertis Scripturæ verbis nititur. Consequentia verò maioris patet ex Adversariorum confessione. Dicunt enim illi, Ecclesiam in Concilio repræsentari: ergo si Ecclesia sit supra Papam, tum & Concilium. Sed respondet Ioannes de turre cremata Ecclesiæ Romanæ Cardinalis in lib 3. de Ecclesia cap. 46. per Ecclesiam non vniversalem Ecclesiam, aut synodum, sed Episcopum significari. Sed *respondeo* hanc interpretationem apertissimè vel ex ipso loco & ex verbis contextus refelli posse. Nam si Episcopus ipse alium offenderit, & in alium peccaverit, vel si alius in eum peccaverit, eumq; offenderit; quem tandem exitum habebit contentio ista ex hac regula Christi? Nam primò si Episcopus is sit, in quem frater peccat, si nõ acquiescat is qui peccat in Episcopi admonitione, debet ille vnum aut alterum testẽ adhibere; si ne tum quidem se emẽdaverit, debet Ecclesiæ dicere. Quid? hoccinè est sibi ipsi? at ille antea rem totam novit, fratrem admonuit, & duos aut tres testes adhibuit, nec ille in eius

eius admonitione acquiescere, aut ei auscultare voluit. Sequitur ergo iam vt ad alios non ad seipsum rem totam deferat. Aut si Episcopus ipse alium offenderit, & illum primo admonuerit is quem offenderit, & postea duos aut tres testes adhibuerit, & adhuc Episcopus in peccato suo perstiterit, quid tum demum illi faciendum est? dicétne ipsi Episcopo? at ille erat, qui offenderat. Ergo fateamur oportet per Ecclesiam corpus multorum, non vnum Episcopum, cætum hominum, non unum aliquem particularem hominem intelligi. Et si particularis quæque Ecclesia maiorem authoritatem habeat in iudicijs, quàm Petrus, vel quivis homo particularis, tum multò magis universalis Ecclesia, quæ in Cōcilio generali repræsentatur. Sed iam Bellarminus respondet. Ille fatetur hoc præceptum tenere in alijs Episcopis, posse illos non à sua, sed ab altiori aliqua Ecclesia, cui Archiepiscopus, vel Patriarcha præest, qui ipsis maior est, iudicari: si verò Pontifex Romanus peccaverit, is solius Dei iudicio (inquit) reservandus est, quia non est vlla Ecclesia ad quam deferri possit. Sed *respondeo:* Christum generaliter loqui, Si frater in te peccaverit, quicūque ille tandem fuerit. Quicunque fuerit (inquit Bellarminus) excepto Romano Pontifice. Rectè: ergo ille non est frater: Sed per fratrē quivis Christianus intelligitur, sive huius sive illius Ecclesiæ fuerit: ergo modò Papa frater fuerit, aut Christianus, si in aliū peccet, est ad Ecclesiā deferendus,

dus, si aliter emēdari non possit. Papam verò ab hac delatione liberare, quid aliud est, quàm impunitatem quandam & peccandi immunitatem illi concedere, vt liberè possit in omnes peccare? At Christus hoc privilegium, non Pontifici Romano, non Petro, non ulli omnino homini concessit. Sed quid si Pontifex Romanus hæreticus fuerit, & multos fratres tum privatim tum publicè offenderit, nullúmne remedium erit? Solent illi dicere, Ecclesiam in optimo statu esse, & Deum illî optimè in omnibus prospexisse. At certè in malo statu erit Ecclesia, nec illî Deus benè prospexit, si Pontifex Romanus, qui caput est Ecclesiæ, sit hæreticus, & corrigi non potest. Hæc ergo Christi regula generalis & perpetua est. Quicunque in fratrem suum peccaverit, is ad Ecclesiam deferendus est: at Papa peccare potest in fratrem suum: ergo Papa est ad Ecclesiam deferendus, & ab Ecclesia iudicandus, & si causa postulat, etiam condemnandus. Atq; hoc ipsi etiam Papistæ fatentur de Pontifice, si fuerit apertè hęreticus, & in manifesta hæresi deprehendatur. At quid si occultus hæreticus erit, & multos offenderit, quid tū faciendum est? Certè hoc modo plus detrimenti Ecclesiæ afferet, alios ad suam opinionem alliciendo, quàm si apertus hæreticus esset. Aut est deferendus ergo, aut sinendus. Sinendum esse ne ipsi quidem Adversarii audent dicere. Ergo deferendus est. Ad quem scilicet? Num ad se? At ille est hęreticus, nec vult corrigi. Ad synodū

ergo

ergo est deferendus. Tum autem est Papa, quādiu eius hæresis occulta est, vt ipsi fatentur. Ex quo constat synodi maiorem esse, quàm *Papæ* authoritatem. Sic igitur iterum insto ex hoc loco, & argumentum meum denuò repeto. *Petro* dicitur, *Dic Ecclesiæ*, hoc est, *Petrus* iubetur offensiones fratrum, & causam etiam suam ad Ecclesiam deferre: ergo *Petrus* & *Petri* etiam successores *Papæ* (quemadmodum se dici volunt) Concilio inferiores sunt, in quo Ecclesia repræsentatur. Bellarminus duo respondet. *Primò* ait *Petrum* non tum fuisse summum *Pontificem*, cùm hæc ei Christus diceret, sed hominem privatum. *Respondeo*: Fateor quidem non tum fuisse summum *Pontificem*. Sed quæro an tum fuit summus *Pontifex*, cùm ei Christus dixit. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Si nunc nō fuit, certum est ne tum quidē fuisse, quia hæc verba (*Dic Ecclesiæ*) longo intervallo sequuntur illa, *Tu es Petrus &c*, & tum illa verba, *Tu es Petrus &c* ad *Petrum* solum, & nō ad *Pontificem* pertinent. Sic nec tum fuit summus *Pontifex*, cùm ei Christus diceret, *Pasce oves meas*, quia tum Christus ipse in terris fuit: at duo summi *Pontifices* simul esse non potuerūt. *Secundò* respondet Bellarminus, posse etiā summū *Pontificem* hæc omnia præstare. Nam primò potest eum qui peccavit corripere, & monere, deinde duos aut tres testes adhibere. Fateor. Sed tertium quo modo præstabit? *Potest* (inquit) excōmunicare, atq; hoc est Ecclesiæ dice-

re. At excommunicare non est Ecclesiæ dicere hoc in loco, quēadmodū ex ipso contextu probari potest. Nam tum quandocunq; aliquis ad Ecclesiam defertur, ille statim excōmunicatur. At Christus ait, *Si Ecclesiam non audierit, tum sit tanquam Ethnicus & Publicanus*. Ergo hoc toti Ecclesiæ priùs est retegēdum, &, si Ecclesiā audierit, tum lucratus es fratrem, isq; est in Ecclesiæ cōmunione retinendus; si verò noluerit audire, tum demùm est excommunicādus. Quare aliud est Ecclesię dicere, aliud excommunicare. Non est enim frater, qui peccaverit, ab Ecclesię corpore rescindēdus, nisi priùs Ecclesiæ authoritatem contēpserit Atq; hanc nostram sentētiam veram esse, Adversariorum verò apertè falsam, non modò ex verbis contextus, sed ex ipsis etiam Papis constat. Sic enim Gregorius *Papa* lib. 4. Epist. 82. hunc locum interpretatur. Nam ad Iohannem Episcopū Constantinopolitanum scribēs, ait se Dominicum præceptum servâsse, monuisse illū per se, misisse etiā alios, qui illum monerent. Tum subiungit. *Sed quia in mea correptione despicior, restat vt Ecclesiā debeam adhibere*. Per Ecclesiam nō se vnum (opinor) intelligit, sed plures. Et cùm hoc ait restare, significat hoc maioris momenti esse. Similiter etiam apud Gratianum causa 11. quęst. 3. capite, *Præcipuè*, Nicolaus Pontifex ad Lotharium Galliæ Regē scribens, monet eū, vt cōmunionē Gualdradæ pellicis vitaret. *Cave* (inquit) *ne duos aut tres testes adhibeamus iuxta Domini præceptum*,

imo

imo ne hoc sanctæ Ecclesiæ dicamus, & tu de cæteris fias cunctis sicut Ethnicus & Publicanus. Ergo summum iudicium penes Ecclesiam, non penes Romanum Pontificem, aut vnum aliquem Episcopum esse constat. De hoc loco satis diximus, & argumentum nostrum ex eo conclusimus. Iterum nobis erit & sæpius de hoc loco dicendum. Nunc igitur relinquo.

Secundum nostrum argumentum sic instituo. Ecclesia vniversalis dicitur mater fidelium, & Christianorum omnium, & hunc quidem honorem libenter illi deferunt Adversarij nostri. Quin & Scriptura eundem illi honorem tribuit Galat. 4. 26. *Hierusalem verò quæ sursum est, libera est, quæ est mater nostrûm omnium.* Et huc afferre solent Adversarij locum illum, qui habetur Proverb. 1. 8. *Ne dimittas legem matris tuæ,* id est, Ecclesiæ, inquiunt illi. Ergo si Ecclesia est mater omnium fidelium, tum Papa est Ecclesiæ filius, si modò fidelis sit: at filius non est supra matrem: ergo Papa vt filius, Ecclesiæ vt matri suæ subesse debet. Quin & omnes Papistæ se Ecclesiæ filios agnoscunt, aut saltem agnoscere debent: ergo matris suæ maiorem debent authoritatem agnoscere, quàm filij cuiusquam. Matth. 23. 9. Christus ait, *Vnus est pater vester, qui est in cœlis:* sic in terris vna Ecclesia est, quæ est mater Christianorum omnium, & ex consequenti, Papæ: ergo Papa Ecclesiæ vt matri suæ obedire debet. Vnde Augustinus in sermone de Petro & Paulo, qui sermo sic incipit,

Filioli

Filioli &c in hunc modum ſcribit. *Mater noſtra pariendo non diſcernit ætates, ipſa genuit Petrum, ipſa parturivit & Paulum, vt ex lupo fieret agnus.* Cùm ergo Petrus Eccleſiæ filius ſit, imò filiolus, vt loquitur Auguſtinus eo in loco; neceſſe eſt eum matri auſcultare, eiusq́ue authoritati ſe ſubijcere. Et Anacletus Papa apud Gratianum cauſa 12. quæſt. 2. capite, *Qui abſtulit*, ſic loquitur. *Mater noſtra Eccleſia eſt.* Et Bernardus lib. 4. de conſiderat. ad Eugen. ſic ſcribit. *Conſideres Eccleſiam, cui præes, matrem eſſe, non dominam, & te non dominum Epiſcoporum, ſed vnum ex eis.* Ergo cùm Eccleſia mater ſit, & in omnes ſuos liberos maternam quandam iuriſdictionem & dominationem habeat; eâ inferiores eſſe filios eius omnes neceſſe eſt. Etſi enim in rebus politicis nonnunquam vſuvenire ſoleat, vt filius matris dominus ſit, quia leges quarundam Gẽtium prohibent mulierem imperare (ſic enim Salomon matre ſua Bethſhebâ ſuperior fuit, illiusq́ue dominus, vt patet. 1. Reg. 2:) tamen hoc in Eccleſia locum non obtinet. Nam Eccleſia non tantùm mater eſt, verumetiam Domina & Regina, & perpetua quidem Regina. Quare ſi Papa vult eſſe ſupra Eccleſiam, non eſt is certè Eccleſiæ filius.

Iam ad *tertium* noſtrum argumentum venio, quod ſic propono. Aut eſt maior authoritas in Concilio, quàm in Papa, ſive in vno aliquo homine, aut Concilia fruſtrà indicta & congregata ſunt: at hoc falſum, nam propter neceſſarias

causas congregantur Concilia: ergo maior est Concilij quàm Papæ aut vnius cuiusquam hominis authoritas. Consequētia patet. Nam plures congregantur, quia plures requiruntur. Quemadmodum enim in Republica, cùm hosti communi est resistendum, ad vim eius repellendam plures concurrant necesse est; vis enim coniuncta (vt aiunt) fortior est: ita in Ecclesia, cùm est de rebus communibus deliberandum, quæ ad totam Ecclesiam pertinent, & cùm aliquid eiusmodi incidit, quod ab vno aliquo aut paucis transigi non potest; cumque leges eiusmodi promulgandæ sunt, quæ ab vno aut paucis sanciri non possunt, tum Concilium convocatur, vt commune Ecclesiæ periculum communi præsidio possit depelli. Sic in nostra Republica, vt etiam in alijs, cùm aliquid authoritate communi sanciendum & decernēdum est, quod sine ea decerni non potest, cōmune Concilium convocatur, quod nos Parlamentum vocamus. Res privatæ privatim trāsiguntur, publica verò negotia publicum conventum requirunt, in quo tractentur. Frustra quidem convocarentur Parlamenta nostra, si ab vno aliquo leges illæ condi & constitui possent, quæ ab ipsis conduntur. Sic si Pontifex aut quivis vnus homo posset omnia in Ecclesia gerere pro suo arbitratu, & leges, quas velit, condere, easdemque etiam cùm velit, rescindere, & abrogare; si posset ipse evertere, quicquid in Concilio sancitur, & sancire quod nullius Concilij authoritate rescindi

ſcindi poteſt, fruſtra quidem Concilia congregarentur, nullus planè illorum vſus eſſet. Ergo ex ipſa ratione & fine congregandi Concilia, conſtat maiorem eſſe Concilij, quàm Papæ, aut unius cuiuſquam hominis authoritatē.

Quartum noſtrum argumentum eſt huiuſmodi. Si ſummi Pontificis apud Iudæos ſub veteri Teſtamento non fuit maxima authoritas, tùm nec apud Chriſtianos ſub novo Teſtamēto, ſi quis talis apud illos ſit ſummus Pontifex (nam ex illorum ſuppoſitione diſputo, non ex rei veritate:) at non fuit maxima poteſtas ſummi Pontificis in veteri Teſtamento: ergo nec eſt Papæ in novo. Conſequentia patet, quia ut in novo Teſtamento authoritas omnis Eccleſiæ & Epiſcoporum eſt à Deo: ſic in veteri Teſtamento ſummum Pontificem Deus inſtituit, vt patet Exod. 28. Et quidem vt ſummus Pontifex apud Iudæos à Deo conſtitutus eſt; ita ſi Papa ſummus Pontifex ſit inter Chriſtianos, eum à Deo conſtitutum fuiſſe neceſſe eſt. Sic par erit vtriuſque authoritas. At in rebus dubiis & controverſijs non ad vnum Pontificem ſed ad ſacerdotes Levitici generis, id eſt, ad Cōcilium ſacerdotum mittuntur Iudæi Deut. 17. 9. Et ſummus Pontifex fuit aliquando à civili magiſtratu abdicatus, vt Abiathar à Salomone, non propter hæreſin, quo caſu Papam deponi poſſe concedunt Adverſarij, ſi modò hæreſis aperta fuerit, ſed quia cum Adonia conſpiráſſet, & ſe aliter, quàm fidelē ſubditū decuit, geſſiſſet,

vt patet 1. Reg. 1, & 2. Si de eo Pontifice, quem Deus ipſe conſtituit, hoc factum eſt; quid de Romano Pontifice fieri oportet, quem Deus non conſtituit, quiq́; non eſt planta, quam Pater cæleſtis in agro ſuo, ſed quam inimicus homo plantavit.

Quintum noſtrum argumentum ſic ſe habet. Si plenitudo poteſtatis ſit penes Eccleſiam, non penes Papam, tum conſtat illius maiorem authoritatem eſſe quàm Papæ: at primum verum: ergo & ſecundum. Conſequentia patet; de aſſumptione igitur videamus. Per plenitudinem verò poteſtatis hoc in loco, non eam poteſtatem intelligo, quam Chriſtus ipſe habuit, ſed ſummam authoritatem illam, & iuriſdictionem, quam Chriſtus Eccleſiæ ſuæ reliquit. Hæc autē poteſtas omnis conſiſtit in ligando & ſolvendo, in claudendo & aperiendo, in retinendo, & remittendo. Hæc quidem authoritas Eccleſiaſtica ſingulis Epiſcopis convenit, ſed accidentaliter, & ſecundariè, & minùs principaliter; Eccleſiæ autem primariò, principaliter, & eſſentialiter competit. Nam ſi hæc poteſtas omnis in Papa eſſet, aut penes vnum aliquem hominem principaliter, & eſſentialiter, tum illo mortuo interiret, & ſic Eccleſia eam prorſus amitteret. At non interit, quantumvis millies Pontifex mortuus fuerit, ſed apud Eccleſiam remanet, ſine qua Pontifex ne vivus quidem vllam huius authoritatis partem haberet. Hæc enim vera apud Philoſophos regula eſt. Cùm virtus ali-
qua

qua duobus ineſt, uni neceſſariò & eſſentialiter, alteri contingenter & accidentaliter; principaliùs ineſt ei, cui neceſſariò & eſſentialiter ineſt, quam ei cui contingenter tantùm & accidentaliter convenit. Vt calor magis principaliter igni, quàm aquæ ineſt, quia ineſt aquæ gratiâ ignis. Sic cùm hæc iuriſdictio & poteſtatis plenitudo in Eccleſiā neceſſariò & primariò, in Papā non niſi ſecundariò per Eccleſiā conferatur: manifeſtum eſt eam in Eccleſia magis eſſe, quàm in Papa. Chriſtus enim Eccleſiam ſupra ſe fundavit, ille petra erat, Eccleſiæ claves tradidit, Eccleſiæ dixit, *Ero vobiſcum vſq; ad conſummationem mundi*, &, *Accipite Spiritum ſanctum, ſicut me miſit Pater, ita ego mitto vos.* Omnia illa eximia privilegia Eccleſiæ tribuuntur, non vni alicui particulari homini; & ſi nullus eſſet Papa per multos annos; tamen Eccleſia non periret, ſed iſtam iuriſdictionem plenam retineret. Quare cùm Eccleſiæ hanc poteſtatem primariò datam eſſe conſtet, Papæ verò non niſi ſecundariò & per accidens, cumq; Eccleſia in Concilio repręſentetur: neceſſe eſt Concilium ſupra Papam eſſe.

Venio nunc ad *ſextum* noſtrum argumentum, quod eſt huiuſmodi. Imperator à Concilio iudicari poteſt. Hoc dabunt, procul dubio, Adverſarii, & multis Conciliis hoc ab illis factum eſſe legimus, quam rectè, non dico, ſed illi certè Imperatorem Concilio ſubiiciunt. Inde ego concludo Papam etiam à

Concilio iudicari posse. Qui verò iudicare alium potest, illo est superior; ergo Concilium est Papâ superius. Cōsequentia patet. Nam qui vincit vincentem te, is etiam vincet te; ergo si Concilium potest iudicare eum, qui Papam iudicat, nempe Imperatorem, tum multò magis potest Papam iudicare. Imperatorem verò posse Papam iudicare constat. Nam fecerunt id olim Imperatores, quando verè Imperatores erant, & quandò Episcopi Romani erant verè Episcopi, hoc est, non Antichristi, & tyranni. Sed fingamus, id quod Adversarij volunt, Papam esse Christi Vicarium; tamen non est supra Imperatorem. Christus enim ipse, vt homo, cùm in terris versaretur, inferior Imperatore fuit, seque ei libenter submisit. At Papa, opinor, non maiorem sibi authoritatem vendicabit, quàm habuit Christus. Ioan. 19. 11. Christus ait Pilato. *Non haberes potestatem adversùs me vllam, nisi hoc tibi datum esset supernè.* Et Mat. 17. in fine legimus, Christum tributum etiam Imperatori solvisse. Etsi enim erat ex stirpe Regia, & sic iure non debuit tributum solvere: tamen quia sceptrum iam translatum erat, & tyrannide iam illud regnum occupârant Romani, ne illos offenderet, solvit pro se & Petro tributum, in cuius tunc ædibus versabatur. Imò Papæ etiam ipsi fatentur, se debere Imperatori tributum solvere. Sic enim legimus apud Gratianum causa 11. quæst. 1. capite, Si tributum. Vbi Papa ipse ait. *Si Imperator petat tributum,*

tium, non negamus. At qui tributum ſolvit, non habet tantam authoritatem, quantam is cui tributum ſolvitur, ſed eo minor eſt, quemadmodum Apoſtolus probat Hebr. 7. Melchiſedechum maiorem fuiſſe Levi, quia Levi in Abrahamo Melchiſedecho decimas ſolvit. Et omnes Apoſtoli erant Imperatoribus ſubditi, nam hac in re omnes pares fuerunt. Paulus ad Cæſarem provocavit Act. 25. 11. Et Rom. 13. 1. ait. *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit.* Sed de authoritate Imperatoris & Papæ inter ſe collata poſtea erit ſuo loco dicendum.

Septimum noſtrum argumentum ſic ſe habet. Maioritas iſta (nam utendum eſt ijs verbis, quibus Adverſarij in hac cauſa utuntur, ut meliùs ab ijs intelligamur) poteſt multis modis conſiderari: ergo quærendum eſt, quo tandem modo Papa ſit Concilio maior. Nam 1, Si clavium maioritas intelligatur, ex æquo claves omnibus Apoſtolis commiſſæ ſunt, & revera nō uni cuiquā homini ſingulari, ſed ipſi Eccleſiæ datæ ſunt claves. Nam Petrus Eccleſiæ perſonam geſſit, ut multis in locis affirmat Auguſtinus, cùm illî ſe Chriſtus claves daturum eſſe promitteret: ergo in Petro Eccleſiæ tributæ ſunt claves. Et Papâ mortuo hæ claves in Eccleſia remanent, ſed Papa nullas claves habet ſine Eccleſia. Petro verò claves promittuntur nominatim, non quòd is caput futurus eſſet Eccleſiæ, aut reliquorum omnium Apoſtolorum

Princeps, sed ad declarandam Ecclesiæ vnitatem, ut idem Augustinus docet. Et ante Augustinum Cyprianus in lib. de Simplicit. Prælatorum, in hunc modum scribit. *Hoc erant alij Apostoli, quod Petrus, pari consortio præditi honoris, & potestatis.* Quæ ergo fuit Petri authoritas, quam reliqui Apostoli non habuerũt? Et Hieronymus ait, *Christum post resurrectionem Apostolis parem potestatem tribuisse.* Nam quòd Petrus fuisse primus dicitur apud Patres, fuit ille quidem primus in societate Apostolorum, non autem authoritate, aut superioritate ulla. Paulus enim illum reprehendit, ut patet Galat. 2. & ait se nihil ab illo aut reliquis Apostolis accepisse, hoc est, nulla in re illis inferiorem fuisse. 2. Si maioritas dignitatis intelligatur, Ecclesia multò est dignior, quàm Papa. Nam ipsi Papã propter Ecclesiam institutum esse fatentur, non è contra Ecclesiam propter Papam. Et certè propter Ecclesiam institutus est Papa, si institutus est omnino. Præterea Ecclesia est corpus Christi, Papa verò membrum tantùm, at corpus totum vno membro dignius est. 3. Si maioritas stabilitatis intelligatur, Papa non est supra Ecclesiam. Nam stabilior multò est Ecclesia. Papa enim potest cadere & deficere, vel quando moritur, vel quando se suo munere abdicat, vel cùm de sua sede per vim deijcitur: at Ecclesia deficere non potest, quæ est perpetua, & omnibus regnis terrenis diuturnior, ut patet Daniel. 2. & Luc. 1. *Regni eius non erit finis.* 4. Si maioritas

ioritas meritorum intelligatur, Papa sæpe impius est; at Ecclesia est casta & incorrupta, & quanquam non meretur aliquid (ut volunt Adversarij) tamen bonis operibus abundat. 5. Si maioritas assistentiæ Spiritus sancti, & Christi regentis Ecclesiam intelligatur: de Ecclesiâ, non de Papâ dictũ est, *Ero vobiscum usque ad consummationem seculi.* Origenes in Rom. 15. annotat *nulli Apostolorum dictum esse singulariter, & nulli fidelium, Ero tecum, sed multitudini Ecclesiarum pluraliter, Ero vobiscum.* Vnde futurum perpetuò cum Ecclesia Christum intelligimus. Et Christus non unî alicui, sed multitudini credentium paraclêtum promittit, qui cum eis permaneret, & non sineret errare. Et de septimo argumento hactenus. Nunc restat vt alia argumenta persequamur, quibus Concilijs suum ius vindicatur.

Octavum nostrum argumentum sic propono. *P*apa errare potest: at Ecclesia universalis, & Concilium Oecumenicum (quod Catholicã Ecclesiam repræsentat) non potest errare: ergo *P*apa est Concilio minor. Ratio patet. Qui enim non potest errare, is maiori authoritate præditus est, quàm qui errat. Habet enim gratiam sibi maiorem datam, & maiora nactus est privilegia. Et quis non videt melius certiusque esse iudicium illud, quod ab errore omni liberum est, quàm quod errori est obnoxium. At verò Papa errare potest, Ecclesia verò Catholica non potest, aut Concilium, quod *E*cclesiam

Catholicam repreſentat. Iam enim vtor Adverſariorum principiis, non quòd ipſe ita exiſtimem, ſed ex illorum hypotheſi contra illos diſputo. In hoc argumento diſtinguo Papam à Concilio, quod omnino in hac diſputatione fieri oportet, quia inter Papam & Concilium comparatio inſtituitur. Antecedens etiam patet. Nam Papa nec vt privata perſona, nec vt Epiſcopus, nec vt Eccleſiæ Romanæ Pontifex, à'b errore liberatur. Nam privati omnes homines poſſunt errare, & hoc de Papa concedunt Adverſarij, illum nempe, vt eſt ſingularis & privatus homo, errare poſſe, non autem, vt eſt Epiſcopus. Verùm ne vt Epiſcopus quidem eſt ab errore immunis. Semper enim vera erit Apoſtoli ſententia, quæ habetur Heb. 5. 2. omnem Pontificem ex hominibus aſſumptum cõdolere poſſe ijs qui ignari ſunt, & qui errant, ἐπεὶ καὶ αὐτὸς περίκειται ἀσθένειαν, *quòd & ipſe circumdatus ſit infirmitate.* Retinet ergo Pontifex eandem generis humani infirmitatem, quam habuit prius, cùm non eſſet Pontifex, nõ liberatur à communi infirmitate. Ergo ſi privatus potuit errare, etiã Epiſcopus factus errare poteſt. Verùm forſan vt Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus errare non poteſt. At & hoc etiam manifeſtũ eſt. Quid enim? nonne Petrus ipſe erravit, cùm nõ incederet recto pede ad Evangelium? Galat. 2. Quid enim aliud eſt non incedere recto pede, quam à recta ſententia aberrare? Et nónne egregiè erravit, cùm exiſtimaret Evangelium non

eſſe

esse Gentibus communicandum? Act. 10. Certè nihil ab instituto Christi alienius esse potuit, quàm Gentibus Evangelium invidere. Sed quid hic multis opus est? Ipsi Adversarij concedunt Papam in hæresin incidere posse, & hæreticum esse, nisi hoc fortasse non sit errare, quod, opinor, non dicent. Ergo postquam Episcopus Ecclesiæ Romanæ factus est, potest errare. At reliqua Ecclesia non potest isto modo errare, errore nẽpe mortifero & capitali. Nam est super petram fundata, & portæ inferorum non possunt adversus eam prævalere, at si erraret, prævalerent. Sic ergo disputo. Papa non fundatur super petram. Fixi enim sunt, qui in petra fundantur, vt non possint finaliter cadere; Papa verò finaliter cadere potest, potest enim in hæresin incidere, & eandem ad mortem vsq; mordicus retinere. Ergo nõ tantum authoritatis habet, quantũ Ecclesia, quæ in petra fundatur. Et multo quidem minùs Papa est illa petra, super quã Ecclesia fundatur & ædificatur, quia tunc Papâ facto hæretico Ecclesia rueret. Atq; hic obiter observãda est Adversariorum stupiditas & incogitantia. Volunt enim Papam esse petram & fundamentum Ecclesiæ, quem tamen intelligũt & fatentur posse in hęresin incidere, & à portis vinci inferorum. Qualis quæso erit illa Ecclesia, quæ tali fundamento nititur?

Nonũ nostrum argumentum est huiusmodi. Papa est membrum Ecclesiæ : ergo est minor suo toto; & pars Concilii, ergo minor est toto Con-

Concilio. Consequentia patet. Nam ratio docet, non esse tantum potestatis vni membro, quantum omnibus, totiq; adeò reliquo corpori. At Papa est nisi unum membrum Ecclesiæ. Nam Ecclesia Catholica est vnum integrum & totū corpus, & ipsa Romana Ecclesia, cuius ille est Episcopus, est eiusdem membrum (loquor nūc de ea, ac si esset vera Ecclesia:) ergo multò magis ille membrum est. Si enim partis sit pars, totius pars sit necesse est. Cyprianus in lib. de Simplicit. Prælatorum, sic scribit. *Vnus est Episcopatus, cuius à singulis in solidum pars tenetur.* Ergo etiamsi daremus Romanum Pontificem esse digniorem & maiorem reliquis singulis Episcopis in Ecclesia; non tamen sequitur eum esse ipsâ Ecclesiâ digniorem. Nam multum interest, utrùm dicas, est maior & dignior in Ecclesia, an sic, est maior & dignior Ecclesiâ, quia in priori comparatione membrum cum membro, seu pars cum parte comparatur, in posteriori verò membrum seu pars comparatur cum toto corpore. Papā autem esse membrum Ecclesiæ quis dubitat, si pius fuerit? Gregorius lib. 4. Epist. 82. sic scribit. *Certè Petrus Apostolorum primus, membrum sanctæ & vniversalis Ecclesiæ est.* Et addit. *Sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi in membris Ecclesiæ sunt cōstituti.* Bellarminus in responsione ad hoc argumentum (nam reliqua non proposuit) nugatur. Sic enim scribit. Vel accipitur Ecclesia cum Papa, vel sine Papa, quando colligitur, ergo Papa,

vt membrum, est minor Ecclesiâ, quæ est totũ. Si accipiatur (inquit) Ecclesia sine Papa, falsũ est illam esse totum: non enim est totum, sed pars, & quidem maior, quàm caput. *Respondeo:* Si Ecclesiam sine Papa acciperemus, non diceremus *P*apam esse Ecclesiæ membrum, sed nos vnum membrum seorsim sumimus, & distinguimus à reliquis, quæ vnum totum constituunt. Ergo cùm Papa non nisi vnum membrum sit; non potest esse maior toto. At est caput (inquit) & caput in corpore etsi sit minor pars magnitudine molis, quàm est totum reliquum corpus, tamen magnitudine virtutis siue authoritatis maior pars est, vt patet in quolibet corpore. Sed *respondeo 1:* Papam esse caput Ecclesiæ, sumit ille tanquam sibi concessum, quod est falsissimum. Est vnus *E*piscopus, & si pius esset, ac Catholicus *E*piscopus, & verus Pastor gregis Christi, esset membrum *E*cclesiæ Catholicę, sed non caput. *E*rgo cùm nullo modo maior sit reliquo toto corpore, non dubium est, quin illo sit inferior. Quis enim manui vel pedi, aut vni digito manus vel pedis plus tribueret, quàm toti corpori? At perinde certè faciunt, qui Papam supra Concilium statuunt, quiq; illi plus tribuunt, quàm toti *E*cclesiæ, eumq; totâ *E*cclesiâ maiorem faciunt. Loquimur hic de Papa, quemadmodum est membrum distinctum à reliquo corpore *E*cclesiæ. 2. Si hoc daremus, *P*apam esse aliquo modo *E*cclesiæ caput, tamen non haberet maiorem potestatem,

quam

quàm totum. Nam etiamsi in corpore caput habet maiorem virtutem, quàm totum, tamen *P*apa non esset eiusmodi caput, hoc est, caput naturale, sed politicum, vt Rex quisque est in suo regno. Caput enim diceretur propter externum duntaxat regimen, non propter arcanam influentiam. Iam verò in politico capite non est tanta vis, quanta est in toto reliquo corpore. Dictus est Saul olim caput omnium tribuum Israel, & cōcedi hoc potest cuivis Regi & Principi, vt caput Reipublicæ, & populi sui dicatur, tamen non plus potest Rex, quàm totum reliquum corpus populi, non modò si ab illo omninò separetur (nam tum nihil facere potest) sed si coniungatur cum illo, sic tamen vt ab illo distinguatur, & dicatur esse caput huius populi, quasi totius corporis, hîc populus plus, quàm Rex, potest. Etsi enim singulis magistratibus, qui populo præsunt, maior sit, tamen toto populo non est maior. Et quidem Rex bonus id potiùs faciet, quod toti populo visum est, quàm quod sibi ipsi. Ita si esset Pontifex Romanus caput Ecclesiæ, tamen cùm politicum caput esset, minor esset tota Ecclesia. Nam Bellarminus ipse concedit aliud esse iudicium de corpore Ecclesiæ, & de corporibus naturalibus: ergo Papa non est caput naturale Ecclesiæ. Nec tamen naturale caput est omnino maius suo toto. Nō enim debet, nec potest, sibi id sumere, quod ratio non patitur, aut aliquid aggredi, quod manus, pedes, viresque corporis præstare non pos-
sunt,

ſunt, alioqui ineptè faciet, & toti tandem corpori interitum afferet. At obĳcit Bellarminus. Si Papa ſit minor Eccleſiâ, quia eſt pars Eccleſiæ; tum Chriſtus, qui eſt caput & pars Eccleſiæ, non eſt maior Eccleſiâ totâ. *Reſpondeo 1*: Chriſto quidem homini datum eſſe, vt ſit caput Eccleſiæ, non autem humanitati Chriſti in abſtracto. Non enim Chriſto tribuendum hoc eſt, quatenus homo eſt tantùm, ſed quatenus Deus & homo eſt ſimul, quatenus eſt vnum ὑφιςάμενον ex divina & humana natura ſimul conſtans. Nam caput Eccleſiæ & hominem & Deum eſſe oportet, vnde Papam non poſſe eſſe Eccleſię caput conſtat, cùm ſit homo ſolus. Caput enim debet corpori ſalutem procurare: at ſalus omnis Eccleſiæ à Deo manat: Deum ergo oportet eſſe, qui eſt Eccleſiæ caput. Cùm igitur Papa ſe Eccleſiæ caput vocat, quod Dei proprium eſt, ſibi vendicat, cumque Adverſarij noſtri illum Eccleſiæ caput conſtituunt, in Deum ipſum blaſphemi ſunt, quia divinam naturam Papæ affingunt. 2. *Reſpondeo*: Chriſtum ſic eſſe Eccleſiæ caput, vt nullo modo poſſit in reliquis mēbris cenſeri, & numerari. At Papa, ſi daremus eum caput eſſe, ita tamen eſt caput, vt alterius reſpectu, nempe Chriſti, non niſi membrum ſit. Etſi ergo Chriſtus, Eccleſiæ caput, maior eſt Eccleſiâ, cùm Deus ſit, cumque ſic caput ſit, vt non ſit membrum: tamen hoc Papæ non conveniret, etſi eſſet caput. Ergo negare Papam eſſe toto minorem, quia Chriſtus non eſt toto minor,

nor, blaſphema comparatio eſt.

Nunc ad poſtremum noſtrum argumẽtum veniamus, quod ex hiſtorijs ſacris & Eccleſiaſticis petemus. Ergo videamus primò quantam Petro Scripturæ tribuant authoritatem. Quicquámne in Scripturis habetur, vnde colligi poteſt, maiorem fuiſſe illius authoritatem, quàm totius collegij Apoſtolorum, & ipſius Eccleſię? Minimè verò. Multa quidem de Petro legimus, ſed nihil eiuſmodi. Imò vbicunque mentio facta eſt Petri, ſi locum paulò penitiùs introſpiciamus, nihil illi tributum inveniemus, quod non alijs Apoſtolis conveniat. In primo capite Actorum cõgregatos fuiſſe Apoſtolos legimus. At nihil ibi tribuitur Petro ſingulare, nihil proprium, nihil peculiare. Non enim unus Petrus, ſed tota Eccleſia Matthiam elegit in locum Iudæ, vt patet ex verſ. 23. vbi non dicitur, ſtatuit Petrus duos, ſed *ſtatuerunt duos*, ἔστησαν δύο, ſcilicet omnes Apoſtoli, & verſ. 26. ἔδωκαν κλήρους, *iecerunt ſortes*. Similiter Act. 6. cùm Apoſtoli convenirent, vt Diaconos eligerent, nihil Petrus ipſe ſolus fecit. Nam primò ipſe ſolus non congregavit diſcipulorum multitudinem, ſed omnes duodecim Apoſtoli, vt legimus verſ. 2. προσκαλεσάμενοι δὲ οἱ δώδεκα τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν, εἶπον, *Itaque duodecim illi advocata diſcipulorum multitudine dixerunt*. Nec ipſe unus elegit & deſignavit Diaconos, ſed tota multitudo diſcipulorum, vt patet verſ. 5. idq́ue in conſpectu non ſolius Petri, ſed omnium Apoſtolorum, vt pa-

tet

tet vers. 6. Nec ille solus electis & designatis manus imposuit sed omnes Apostoli, vt ex eodem versu patet. Si Petrus Papa fuisset, ille solus nominâsset, elegisset, designâsset, & solus etiam nominatis, electis, ac designatis, manus imposuisset. Sic Act. 8. 14. Apostoli miserunt Petrum & Ioannem Samariam, quod quidem evincit maiorem fuisse in collegio Apostolorũ, quàm in Petro authoritatem. Si *P*etrus *P*apa fuisset, non missus fuisset ab Apostolis, sed ille potiùs misisset aliquẽ ex Apostolis. Sed hîc calũniantur Adversarij, & dicũt maiorẽ aliquando mitti ab ijs, qui authoritate inferiores sunt, vt Rex dicitur mitti aliquando ad bellum à Consiliarijs. Ioannes de Turre cremata lib. 2. cap. 14. summæ de Ecclesia, ait *P*etrum fuisse ab Apostolis missum, nõ authoritatis imperio, sed providentiæ consilio. Alij *P*apistæ dicunt consultivè missum fuisse, non authoritativè. Ita fingunt illi Apostolos omnes *P*etrum rogâsse & obsecrâsse, vt ipse non dedignaretur Samariam ire. *Respondeo*: Quis sic loquitur, Regem mitti à consiliarijs: ire sua sponte dicitur, vel rogari, suaderi, moneri à viris primarijs Reipub. vt eat, non mitti. Nam missio semper quandam potestatem arguit. Senatus apud Romanos consules misit, quia maior authoritas senatus, quàm consulum fuit, Sic prętor mitti potest à municipibus, quod arguit maiorem esse totius municipij authoritatem, quàm vnius prætoris. Ita hîc apertè scribit Lucas, ἀπέστειλαν πρὸς αὐτοὺς τὸν Πέτρον,

τρον, miserunt ad illos Petrum, ſcilicet Apoſtoli, non ait petijſſe, vt iret. Iſta miſſio minorem fuiſſe Petri authoritatem arguit, quàm omnium Apoſtolorum. Semper enim verum erit illud, quod Chriſtus ait Ioan. 13. 16. *Qui mittitur, non eſt maior eo, à quo miſſus eſt.* Miſſus verò Petrus eſt, miſerunt Apoſtoli: ergo Petrus non fuit maior omnibus Apoſtolis. Verùm ſi Adverſarij contendant, miſſum fuiſſe Petrum, prouidentiæ tantùm conſilio, non authoritatis imperio, vel, vt aliqui illorum loquuntur, conſultivè, non authoritativè, quid tandem de Ioanne reſpondebunt? Num ſimiliter Apoſtolos obſecrâſſe & rogâſſe illum dicent, vt Samariam iret? nam ille fuit Petri collega in hac legatione. Sic enim legimus hoc in loco, ἀπέστειλαν πρὸς αὐτοὺς τὸν Πέτρον καὶ Ἰωάννην. *Miſerunt ad illos Petrum & Ioannem.* Nihil ergo hîc de Petro poſſunt comminiſci, quod non idem ſit Ioanni tribuendum. Miſerunt enim non Petrum tantùm, ſed Ioannem, & vt Ioannem, ſic Petrum. Nam idem modus fuit mittendi vtrumq;, quemadmodum coniunctio, καὶ, indicat. Ergo vt Ioannes minor fuit toto reliquorum Apoſtolorum cætu, ſic Petrus. Sed obijcit Ioannes de Turre cremata loco ſuprà citato hoc Arianorum fuiſſe fundamentum, quo nos vtimur; ergo Arianis fauere, qui ſic diſputant. Nam eodem planè modo (inquit) ratiocinabantur illi. Chriſtus fuit miſſus à Patre: ergo fuit Patre minor. *Reſpondeo*: Chriſtus, quatenus à Patre miſſus eſt, fuit illo inferi-

rior,& minór. Missus enim est, quatenus fuit incarnatus, & hoc modo Patris servus & Angelus fuit, licèt alioqui naturâ per omnia æqualis. Atq; hoc est quod ait, *Pater meus maior me est*. Cōparare hac in re Papam cum Christo, palàm & apertè blasphemum est. Iam verò Petrus à collegio Apostolorum missus, óbsecutus est statim eorũ volũtati, & vnà cum Ioanne Samariam profectus est. At si Papę similis fuisset, vel, vt *A*dversarij volũt, Papa ipse, aliter fecisset. Misisset enim aliũ, vel saltē collegā non admisisset. Act. 11. Petrus cogitur se purgare, & reddere rationē Evangelij à se Gētibus communicati, & in capitis quodammodo iudicium vocatur. Nũ ausa fuisset Ecclesia tantum in se suscipere, vt de rebus à Petro gestis iudicaret, & illum quasi in quæstionem vocaret, si eum pro capite Ecclesię habuisset? Minimè verò. Neque recusat Petrus illorum imperium aut iudicium, sed causam suam illis diligēter exponit, facti sui rationem reddit, & se apud illos officiosissimè purgat. Nihil igitur Pontificium sibi assumit. Nam si fuisset tam ambitiosus, quàm nunc Papæ sunt, nunquā hoc fecisset. Act. 15. in Concilio Apostolorum nihil legimus, quod *P*etrũ *P*apā fuisse, & Cōcilio superiorem, probat. Non condit ille decretũ, nam factum est decretum non Petri solius, sed omniũ Apostolorum nomine, nec à *P*etro solo sentētia fertur, nā videtur potius Iacobus sentētiā pronunciâsse, cùm dixit, διὸ ἐγὼ κρίνω, *Quare ego indico*. Gal. 2. legimus sic fuisse *P*etrũ à Pau-

lo tractatum, vt palàm constet Paulum non agnovisse illum pro superiori, aut pro capite, quo etiam in loco idem Paulus Iacobum & Ioannē Petro exęquat. Deniq; si omnia legamus, evolvamus, repetamus, & ad vivuū quasi resecemus, quæ in Scripturis de Petro vspiam prædicantur, inveniemus eum singulis Apostolis parem, vniversis inferiorem fuisse, superiorē verò nusquam, aut singulis seorsim, aut vniversis coniunctim, extitisse legemus. Sed hac de re erit nobis postea fusiùs dicendum, cùm de primatu Romani Pontificis disputabimus. Sic ergo Scripturæ de Petro prædicant: iam verò ad historias Ecclesiasticas, & ad tempora subsequentia veniamus. Gratianus causa 8. quæst. 1. capite, *Si Petrus*, affirmat ex Epistola Ioannis tertij, Papæ, Petrum morte ingruente Clementem sibi successorem elegisse, Clementem verò cum videret, quòd esset perniciosum exemplo, si quis eligeret successorem suum, renunciâsse Papatui, & tunc electum fuisse Linum, eo mortuo electum fuisse Cletum, quo mortuo denuò Clementem electum fuisse, atque hinc fieri, quòd aliquæ historię Petro Linū, aliæ Clemētē proximè successisse dicant, vnde de Clemente versus,

Disputat hic mundus, quartus, fueritve secūdus.

Sic Gratianus. Sed authores aiunt Apostolos illam Petri electionem abrogâsse, & Clemētem ab illo electum abdicâsse, eiusque loco Linum elegisse, & postea Cletum, & quarto loco Clementem. Quod si verum sit, maior Apostolorum,

rum, quàm Petri authoritas fuit, qui illud rescindere potuerunt, quod Petrus statuerat. Sed de successore Petri scriptores non consentiunt. Quare nos hoc totum in medio relinquemus. Nicenum Concilium primum canon. 5. tulit legem contra appellationes. Statuit enim non licere cuipiam Episcopo vel Christiano ab vna Ecclesia ad aliã, aut ab vno Episcopo ad alium provocare. Ergo præscribit Concilium leges etiam Pontifici Romano. *P*rterea can. 6. eiusdem Concilij legimus, singulis *P*atriarchis & Metropolitis *P*rovincias suas à Concilio assignatas fuisse, quod arguit Concilij maiorem fuisse, quàm cuiusquam Episcopi, etiam quàm ipsius *P*apæ, authoritatem. Num enim Conciliũ tantum in se suscepisset, vt Ecclesiam distribueret, & quasi dispertiretur, & suam cuique partem assignaret, si *P*apa Ecclesiæ caput fuisset? Imò *P*apa ipse hoc fecisset, non Concilium: at ille non fecit, sed Concilium: ergo Concilium fuit supra *P*apam. In Concilio Syrmiensi, de quo scribit Sozomenus lib. 4. cap. 15. statutum est, vt Liberius & Fœlix simul Romanam sedẽ & Ecclesiam administrarent, & literę missę sunt Fœlici à *P*atribus illius Concilij, vt pateretur Liberium sibi in sua administratione socium esse. Hic Adversarij se expedire non possunt. Quid enim respondebũt? Vter tum Christi vicarius fuit? an Liberius? at ille subscripserat Ario: num Fœlix? at ille Liberio contra ius eiecto successerat: ambóne? at duo simul Christi vica-

rij esse non possunt. Sic caruit Ecclesia capite, & Christus vicario, ad tẽpus. Sed Concilio sic placuit: ergo Conciliũ supra Papã & supra Ecclesiã Romanã fuit. Bellarminus duo respondet. *Primò*, Concilium non iussisse, sed hortatum tãtùm esse Fœlicẽ per literas, vt pateretur secum simul sedere Liberium. *Resp.* De literis exhortatorijs Sozomenus nullam mentionem facit. Ait tantùm, *γράφουσι φιλικῶς*, *&c.* Et has fuisse literas mandatorias patet, quòd aliâs Fœlix nunquam concessisset. Sed Theodoretus disertè ait lib. 2. cap. 17. *R*egem iussisse, vt Liberius *κοινῇ* cum Fœlice Ecclesiam Romanã regeret: ergo nõ Cõcilium tantùm, verumetiã Imperator fuit supra *P*apã. *Secundò* ait Bellarminus, illud Cõcilium præcipuè Arianorum fuisse, & nullius momẽti. *Resp.* Sane fateor aliquos interfuisse Arianos huic Cõcilio, sed tamẽ multi ibi fuerunt Catholici Episcopi. Nec si plures ibi fuerunt Ariani, quàm Catholici, hæreticũ & nõ legitimum fuisse illud Conciliũ sequitur. Nã hæc non fuit quæstio de Arianismo, nec vlla fuit pars Arianæ hæreseos, negare Romanũ *P*ontificẽ esse caput Ecclesiæ. Ariani nihil Romano *P*ontifici detrahebãt, aut Ecclesiæ Romanæ, quod existimabant ad eos iure pertinere. Quòd autem isti duo simul Ecclesiam Romanã rexerint, patet ex Sozomeno ibidẽ. Ait enim paulò pòst, Fœlicẽ esse mortuũ, & sic solum Liberiũ rexisse. Hinc intelligimus *P*apam olim, & Imperatori, & synodo subditũ fuisse. Et neq; Fœlix neq; Liberius huic Concilij

lij decreto reclamat, imò apud Theodoretū populus clamat illud esse iustum iudicium. Concilij Antiocheni Patres literas scripserūt ad Iulium Episcopum Romanum (vt legimus apud Sozomē. lib. 3. cap. 8.) in quibus illum graviter & acerbè reprehēdūt, multisq; verbis accusant, quòd ille nōnullos, contra cōsuetudinē & leges Ecclesię, in cōmunionem recepisset, quos synodus damnâsset, & minantur se similiter cum illo facturos. Et aiunt non oportuisse illū sic facere, non magis quàm illi Novatum olim ab Episcopo Romano dānatū in cōmunionē receperunt. Vnde constat illius Concilij Patres non existimâsse, maiorem esse *P*apæ authoritatem, quàm Concilij, nec Occidentalis Ecclesiæ, quàm Orientalis. Sed forsan idem respondebunt, quod antea, fuisse hoc Concilium Arianorum. At *respondeo 1*: nullam fuisse hac de re inter Catholicos & Arianos controversiam, nempe de primatu Romani *P*ontificis: ergo Arianorum hac de re iudicium integrum esse potuit. Quid enim? an nihil rectè senserunt Ariani, quia de divina Christi natura errârunt? *2. Respondeo*: non omnes illius Concilii *E*piscopos fuisse Arianos. Manifestum enim est, multos ibi pios & egregios viros, & incorruptos ac synceros Episcopos adfuisse, cuiusmodi fuit Eusebius Nicomediensis, & Marcus Arethusius, vt est apud Sozomen lib. 3. capite. 10. qui postea sub Iuliano gloriosum martyrium passus est, & illo tempore summo in honore

 fuit.

fuit. Et literæ ſunt à toto Concilio ad Iulium miſſæ. Nec reprehendendum eſt hoc Concilium, quia nihil aliud ſtatuit de appellationibus, quàm quod ſynodus Nicæna antea ſtatuerat. Sed de hoc Concilio ſatis. Hinc patet Eccleſiam olim non ſenſiſſe de Romano Epiſcopo, vt de maiore, quàm eſt ſynodus, etſi illum prædicabant tum multi paſſim & laudabant. Sed afferamus Concilia, quæ illi Catholica & legitima eſſe concedunt. Iam igitur venio ad Concilium Conſtantinopolitanum primum, quod fuit nō modò Catholicum, ſed & Oecumenicum. Si ergo hoc Concilium aliquid ſtatuit, quod authoritatem Romani Pontificis infringeret, Adverſarij nullo modo tergiverſari poſſunt. Definivit verò hoc Concilium canon. ;. Conſtantinopolitanum Epiſcopum fore deinceps Romano proximum, hoc eſt, ſecundum Patriarcham, & ijſdem privilegijs ornandum eſſe, quibus antea Epiſcopus Romanus ornatus erat, quia Conſtantinopolis fuit nova Roma. Verba decreti in græco codice hæc ſunt, *τὸν μέντοι κωνσταντινουπόλεως ἐπισκοπὸν ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν ῥώμην.* Hoc attigit Epiſcopum Romanum & Eccleſiam Romanam maximè. Et quanquam hoc decreto magnopere offenſus fuit Romanus Pontifex, tamen ipſum reſcindere, aut eius vim infringere non potuit. Nam eundem poſtea locum Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſemper obtinebat. Fuit enim tum Pontifex,

tifex Romanus, non authoritate, sed ordine, numero, societate primus, secundus verò fuit Episcopus Constantinopolitanus. Ex quo constat Concilium supra Papam fuisse. Statuit enim illud Concilium, quod Papæ displicuit, nec potuit ille unquam mutare. Quòd si Patres illius Concilij existimâssent Papæ maiorem esse authoritatem quàm Concilij, nunquam hoc aut invito aut inconsulto Romano Pontifice decrevissent. Nunc alia Concilia proponemus. Concilium Carthaginense sextum litem habuit cum tribus Episcopis Romanis, Zozimo, Bonifacio, Celestino. Hi tres petebant ab illo Concilio, ut liceret ad se provocari vndique, & proferebant hac de re Canonem Concilij Nicæni, sed ementitum. Nam in Concilio Nicæno contrarium decretum fuit. Vnde quæ fuit illorum ambitio, & impudentia, patet. Sed Patres illius Concilij re tandem perspecta non modò non acquiescunt in illorum authoritate, nec illorum petitioni annuunt, verumetiam acerbè rescribunt ad Celestinum, eumque ambitionis accusant, & prohibent in posterum euiusmodi aliquid petere, & sanciunt denique, vt si quis Episcopus Africanus extra Africam provocaret, à nemine intra Africam in communionem reciperetur. Atque vt intelligatis, quanta huius Concilij authoritas sit, ei interfuit Augustinus ipse, & alij sancti Patres, quibus Ecclesia nullos habuit illo tempore meliores, aut doctiores. Hinc eiusmodi argumentum maximè necessa-

um colligi & concludi poteſt. Si Conciliū illud tam pium exiſtimâſſet Papam eſſe iure divino Eccleſiæ caput & ſupra Concilium, tum nunquam ei in tam iuſta petitione reſtitiſſet. Nam iuſta hæc fuiſſet petitio, ſi Papa eſſet Eccleſiæ caput. Quidni enim membrum ad caput provocet? At reſtitit Concilium: ergo palàm eſt non ita ſenſiſſe. Hæc tam enucleata ſunt, ut negari ab Adverſarijs, aut eludi non poſſint. Extant enim omnia apertè, & habentur tum in græcis, tum in latinis libris. Ex quibus tum Papę fraus & ambitio, tū Cōcilii pietas & conſtantia apparet. Multa hic fingunt ad hoc eludendum Adverſarii, ſed ſunt nullius momenti omnia. Si enim Patres illius Concilii exiſtimâſſent, Epiſcopum Romanum Eccleſiæ caput fuiſse, & Concilio maiorem, certè tam iuſtæ petitioni ceſſiſsent: at cedere noluerunt: quare manifeſtum eſt illos in ea opinione non fuiſse. In extrema parte illius Concilii, habetur Epiſtola ad Celeſtinum. Atq; idem Concilium ſtatuit, vt primæ ſedis Epiſcopus non appellaretur ſummus ſacerdos, neq; princeps ſacerdotum, quæ tamen nomina hodie Romano Pontifici tribuuntur. Habetur hic Canon apud Gratianum diſt. 99. capite, *Primæ ſedis*. Vnde palàm eſt, huius Concilii Patres ſenſiſse, Concilium eſse ſupra Papam. Hoc enim omnibus Epiſcopis præſcribunt. Sed de hoc Concilio ſatis. Venio nunc ad Chalcedonenſe Conciliū, quod fuit vnū ex quatuor illis celeberrimis Conciliis,
quæ

quæ Gregorius se vt quatuor Evangelia venerari affirmat. Decrevit etiã hoc Conciliũ aliquid contra dignitatem Romani Pontificis. Nam in actione 16. huius Concilii legimus, à Patribus cõmuni sententia constitutũ esse, vt Episcopus Constantinopolitanus esset secundus Patriarcharũ, & iisdẽ privilegiis ornaretur, quibus antea Pontifex Romanus ornatus erat. Habetur hoc in canon 28. in Græco codice. Ex quo cõstat, non fuisse hoc tractatum modò in illo Concilio, sed sancitũ etiã. Sed ex verbis Concilii sex ista colligo quæ sequũtur. *Primũ* est, hoc Concilium idẽ statuisse, quod fuit in Constantinopolitano primo decretum, de dignitate Episcopi Constantinopolitani. *Secundũ* est, dignitatẽ primæ sedis datam fuisse Ecclesiæ Romanæ, nõ à Deo, aut Christo, nec ulla divina authoritate, aut sanctione, sed voluntate & iudicio Ecclesiæ, nimirum aut à Patribus in Concilio, aut tacito illorũ consensu. Sic enim legimus in Concilio, οἱ πατέρες ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα. Non ergo iure divino, sed Patrũ cõsensu tributa est hæc dignitas. *Tertiũ* est, primas fuisse Romanæ sedi tributas & concessas, non quòd Petrus fuit eius Ecclesię Episcopus, sed quòd illa civitas esset sedes imperii, Regia civitas, Metropolis, & Domina ac Regina totius mũdi Sic enim habetur in Concilio. διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην. Quare fictũ est, quod Papistę iactãt de primatu illius sedis à Petro deducto. *Quartũ* est, Episcopos atq; Patres huius Cõcilij, eâdem omnino ratione inductos, & propter eandem omnino causam, æquum

censuisse, ut eadem privilegia Ecclesiæ & sedi Constantinopolitanæ tribuerentur, quòd illa nimirum tunc esset Regia civitas, & senatu donata esset. Sic enim legimus in illo Canone, τῷ αὐτῷ σκοπῷ κινούμενοι. Quæ ergo causa fuit ornandæ sedis Romanæ, eadem planè causa fuit ornādæ sedis Constantinopolitanæ. *Quintum* est, sedem Constantinopolitanam ijsdem fuisse privilegijs donatam, quibus Romana antea decorata erat. Sic enim in illo loco habetur, ἴσων πρεσβείων ἀπολαύειν, καὶ ὡς ἐκείνην μεγαλύνεσθαι ἐν ἐκκλησιαστικοῖς πράγμασι. Decretum est scilicet, *Vt æqualia obtineret, & pariter valeret in omnibus, quæ ad Ecclesiam pertinent.* *Sextum* & postremū, quod ex huius Concilij verbis colligo, hoc est, istam sanctionem visam esse omnibus æquissimam. Sic enim legimus in eodem Canone, εὐλόγως κρίναντες, &c. Quare manifestum est Patres illos sensisse, se nullo modo Episcopo Romano subjici. Atq; hoc illi decreverunt, repugnante Leone, & Legatis eius. Nam Leo nunquam potuit induci, vt hunc canonem approbaret. Hoc ipse testatur in Epist. 53. ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum, vbi illum obiurgat, quòd ausus esset hoc tentare, & ait suos Legatos constanter restitisse, & se nunquā consentire potuisse. Et idem Epist. 59. ait, se semper reprehendisse, quæ in hac synodo decreta sunt. Et in act. 16. huius Concilij legimus, Lucentiū Pontificis Romani Legatum, valde flebiliter conquestum esse, iniuriam factam esse Romano

no Pontifici, & petijsse à Patribus ut hoc decretum rescinderetur, sed non potuisse, quod petiit, impetrare, imò responsum esse à iudicibus, *Quod interlocuti sumus, tota synodus approbavit.* Omnes igitur consenserunt præter Legatos Pontificis Romani. Et Liberatus cap. 13. historiæ suæ sic scribit. *Cùm Anatolius consentiente Concilio primatum obtinuisset, Legati verò Romani Episcopi contradicerent, à iudicibus & Episcopis omnibus illa contradictio suscepta non est.* Vnde sic necessariò concludere possumus. Si omnes non modò iudices, sed & Episcopi in Concilio Chalcedonensi id sanxerunt, quod Leoni Episcopo Romano displicuit vel maximè, tum manifestum est eos sensisse, Leonis non fuisse maiorem authoritatem quàm suam. At verum primum. Sanxerunt enim, vt Episcopus Constantinopolitanus Romano per omnia æqualis esset, nisi quòd hic loco primo sederet, in reliquis omnibus vt pares essent, decreverunt, & valuit hæc sanctio huius Concilij invito & repugnante Pontifice Romano. Ergo secundum etiam verum esse necesse est. Hæc aperta sunt. Nunc ad alia Concilia progredior. Concilium Constantinopolitanum sextum, quod fuit Oecumenicum, multa contra Episcopum Romanũ, & contra Ecclesiæ Romanæ praxin & consuetudinem decrevit. In Canone 36. illius Concilij, superius illud decretum Concilij Chalcedonensis stabilitur, de Episcopi Constantinopolitani throno & dignitate, quod Romano Pontifici

semper

ſemper diſplicuit, vt nos antea docuimus. Vnde concludi poteſt, Papam ne adhuc quidem tantam authoritatem habuiſſe, quantam nunc ſibi vendicat. In canone 13 ſancitum eſt, Presbyteros & Diaconos non eſſe à nuptijs prohibendos, & hoc nominatim contra Romanam Eccleſiam ſtatuitur. Aiunt Patres huius Concilij, hoc eſſe contra canones Apoſtolicos, & pronunciant eos deponendos eſſe, qui aliter ſentiunt. In Canon. 55. lex Romanæ Eccleſiæ præſcribitur, ne ieiunarent in Sabbatho tempore Quadrageſimæ. Mos hic damnatur, & iubẽt Patres ſervari hunc canonẽ *ἀπαρασαλεύτως, inconcuſſè*, ut non ieiunetur Sabbato tempore Quadrageſimæ, præterquam uno. Hęc omnia apertè Romanam Eccleſiam attingunt. Vnde ſic poſſumus argumentari. Si Patres huius Concilij ea decreverunt, quæ ſcirent olim improbata eſſe à Romano Epiſcopo; & in Eccleſia Romana, eiuſq; Epiſcopo nonnulla reprehenderunt; tum non putabant Papam eſſe ſupra Conciliũ: at verum primum: ergo & ſecundum. Adverſarij non negant hoc Concilium fuiſſe generale, ſed negãt hos canones, qui ſunt numero 103. fuiſſe huius ſextæ ſynodi canones, ſed ementitos eſſe. Sic Canus lib. 5. de Concil. cap. vlt. Sic Pighius, & alij, qui dignitatem Papæ & Romanæ Eccleſiæ defendunt. *Reſpondeo 1:* Cuius Synodi fuerunt hi Canones, non multum noſtrâ intereſt, nec cauſæ quam tractamus. Sed quæcunq; illa ſynodus fuerit, in ea opinione fu-

it,

it, subjici Concilio Papam. Et si fuisset forsan hæretica, tamen nunquam fuit eo nomine damnata, quòd contra Romanum Pontificem statuerit. Nam putare Romanum Episcopũ subesse Concilio, non fuit tunc hæreticum, nec ulla fuit hæc olim in Ecclesia Dei controversia, an Concilium supra Papam esset. Ergo propter istam causam non debent hi Canones repudiari. 2. *Respondeo:* hos Patres, quicunque tandem fuerint, in literis ad Imperatorem scriptis, se οἰκουμενικὴν σύνοδον vocare. Quod illi certè admodum impudenter fecissent, si id verum non fuisset. Sed 3. & postremò *respondeo:* hos Canones fuisse olim habitos pro sextæ Synodi canonibus, ex ipsis Adversariis liquere. Nam Gratianus in suo Decreto hos Canones sæpiùs citat, & semper appellat sextæ synodi canones. Sed forsan nulla eius authoritas est. Sanè tribuant illì, quantum volunt, nos non multum de ea re laboramus. Sed apud Gratianum distinct. 16. capite, *Sextam*, Adrianus Papa apertè ait. *Sextam Synodum sanctam cum omnibus suis Canonibus recipio.* Et quod quidam dicunt, ex quorum etiam numero est Canus lib. 5. cap. vlt. in respons. ad 6. arg. hoc Concilium nullos Canones edidisse, id palam refellitur statim postea apud Gratianum. Præterea Innocentius tertius in tractat. de ætate, & qualitate ordinandorum, unum ex his Canonibus citat, & vocat Canonem sextæ synodi, & eundem etiam Gratianus citat, distinct. 32. capite, *Si quis*. Et Synodus

septima

ſeptima horum Canonum authoritate probat imagines eſſe venerandas, unde etiam conſtat non fuiſſe hanc aliquam ex Synodis Iconomachorum. His de rebus ipſi inter ſe litigent, nos enim non attingunt. Sed à quocunque Cõcilio ſanciti hi Canones ſunt, id arguunt verum eſſe, quod nos dicimus, Concilium eſſe ſupra Papam. Quod ad Pighium verò attinet, eum fuiſſe admodum impudentem conſtat in ſuis Diatribis; qui cùm non poſſet hos Canones defendere, & ſuas partes tueri, cumq; videret negari non poſſe, hos eſſe ſextæ Synodi Canones, quia à Gratiano, & Papa Adriano eo nomine citantur, non modò Canones damnat, ſed totam etiam Synodum ſextam, quam fuiſſe legitimam, ipſi Papiſtæ, & Papæ multi ſtatuerũt. Sed progredior. In Cõcilio Conſtantinopolitano octavo, canon, 21. ſic ſcriptum legimus. Si Synodus vuiverſalis convenerit, & facta fuerit quæſtio de Romana *E*ccleſia, oportet reverenter hanc quæſtionem tractare, & non audacter dare ſententiam contra ſummos Romæ ſenioris Epiſcopos. Vnde colligimus, poſſe in Concilio Papæ cauſam tractari, poſſe illum accuſari, poſſe iudicari, poſſe etiam damnari, ſed hoc non temerè eſſe faciendum, quod illius ſedis dignitati tributum eſt. Apud Ambroſiũ Epiſt. 79. (quæ Epiſtola falsò Ambroſio tribuitur) legimus Damaſum non auſum fuiſſe ſuum iudicium præferre Concilio Capuenſi, quod habitum eſt in cauſa cuiuſdam Bonoſi

Epiſ-

Episcopi. Concilium enim illud tradiderat Bonosi causam quibusdam Episcopis audiendam. Quod cum à Concilio factum esset, Damasus ait, *cùm Concilium causam commiserit aliis Episcopis, sibi nõ posse competere iudicandi formam*. Quibus verbis ipse Pontifex fatetur minorem esse suam, quàm Concilii etiam particularis authoritatem. Nam hoc Capuense Concilium particulare non generale Concilium fuit. Ergo Papa non est, nec olim fuit supra Concilium. Sed jam venio ad tria illa Concilia Papistica, in quibus contra Papam decretum est, intelligo verò Cõstantiense, Basiliense, & Pisanum Concilium. Hæc tria Concilia non modò decreverunt, maiorem esse Concilii, quàm Papæ authoritatem, verumetiam id factis comprobârunt. Nam Papas nonnullos damnârunt, & deposuerunt, quod in hoc suo decreto non acquiescerent. Si Papam existimâssent supra Concilium fuisse, hoc nunquam fecissent. Constantiense Concilum fuit indictum à Papa ipso, sic & Basiliense, vtrumq; tamen contra Papam decrevit. Constantiense Concilium sess. 4. ait *Concilium habere authoritatem à Christo immediatè, cui omnis potestas debeat obedire, etiam Papalis*. Et idem Concilium sentẽtiam Petri de Luna damnavit, qui se Papam esse dixit. Eius verò sentẽtia fuit, Papam non habere superius iudicium in tèrris, sed esse supra omne iudicium humanum, nec posse ab aliquo iudicari. Hanc sententiam Concilium pro hæretica iudicavit. Et idem etiam Con-

Concilium Ioannem, 23. authoritate sua privavit, & ab officio suo abdicavit. Concilium Basiliense sess. 33. ait, *de fide Catholica tenendum esse, Concilium esse supra Papam.* Quid? an nihil horum Conciliorum authoritas movebit? imò maximè procul dubio. Non enim sunt ex Lutheranis collecta & congregata, sed ex Cardinalibus, Archiepiscopis, & Episcopis Pontificiis. Adversarii nihil habent, quod respondeant, nisi hæc Concilia non esse per omnia approbata. Sed hoc nihil aliud est, quàm tergiversari, & se in causa victos fateri. Quid illi approbent, nostrâ non interest. Sed iniquum certè est, ut unū idemq; Concilium ex una parte probent, quâ nimirum illis placet, ex altera non probent, quâ illorum sententiæ non favet. Num hoc æquum est, vt accipiant illi quod placet, repudiēt verò, quod displicet? Imò aut tota Concilia recipiant, aut tota reiiciant. Sed de Constantiensi Concilio æquum est vt meliùs sentiant. Nam cum Gersone Parisiensi sic disputo in tractatu , An in causis fidei à Papa ad Concilium provocare liceat. Si Concilium non sit supra Papam, tum sequetur malé fecisse Concilium Constantiense, quòd Ioannem vicesimum tertium deponeret, & Martinum eligeret, nec Martinum fuisse legitimum Papam, qui ab hoc Concilio in locum Ioannis suffectus est, sed Ioannem. Quod si verum sit, tum sequetur etiam omnes, qui deinceps secuti sunt, Papas schismaticos esse, & non legitimos Papas, qui Martino, non Ioanni suc-

ces-

cesserunt. Nam quòd Bellarminus ait, istos *Papas* volentes se abdicâsse, falsissimum est. Miser ille Ioannes nihil magis cupiebat, quàm vt locum suum teneret, cumque cerneret se à Concilio deponendum, aufugit, & sic illum absentem Concilium damnavit, vt docet *Platina* in Ioan. 23. Quid quòd Martinus quintus in postrema sessione huius Cōcilij, approbat in Bulla sua omnia illa decreta, quæ ab hoc Cōcilio in materijs fidei facta sunt, & laudat, & sancit, nisi fortè hæc materia fidei non sit, Concilium esse supra *Papam*. Ad Basiliense verò Concilium quod attinet, magna eius authoritas fuit. In illo Concilio multi fuerunt, qui Papæ Eugenio reclamârunt hac de re. Et Parisienses Theologi hoc Concilium laudârunt, eiusque authoritatem defenderunt contra Leonem decimum, & illa laudatio atque defensio extat, & typis edita est. Et hæc ferè postrema fuerunt Concilia habita ante centum, aut ad summum ante ducentos annos. Nec adhuc aliquo Concilio decretum est, Papam esse supra Concilium. Augustinus in Epist. 162. testatur Concilium habere potestatem ligandi & solvēdi, & posse causam à Romano Pontifice iudicatā iterum iudicare. Vbi haud obscurè innuit, nō esse Episcopi *Romani* summā authoritatem, nam tū in eius iudicio esset acquiescendū. Atq; idem in lib. 2. de Baptism. contra Donatist. cap. 3. ait posse per Concilia reprehendi, *si quid in scriptis aut dictis Episcoporum fuerit deviatum à*

vero. Quare maiorem tribuit Concilijs authoritatem, quàm vlli omnino Episcopo. Hieronymus in Epist. ad Euagrium (habetur etiam hoc testimonium apud Gratianum distinct. 93. capite, *Legimus*) sic scribit. *Si authoritas quæritur, orbis maior est vrbe*. Loquitur autem de Episcopo Romano. Et idē Gratianus causa, 24. quæst. 1. capite, *Omnibus*, docet *apud Ecclesiam esse potestatem iudiciariam ligandi & solvendi*. Ex quo colligi potest, falsum esse illud, quod multi Papistæ dicunt, iudiciariam & Ecclesiasticam iurisdictionem sic esse in Ecclesia, vt thesaurum in arca, cuius arcæ solus Petrus, & illius successores Pontifices Romani, claves habent. Nam Ecclesia potest has claves, cùm voluerit, exercere, & arcam aperire. Et hinc etiam refellitur opinio multorum Scholasticorum, qui aiunt Petrum immediatè à Christo, reliquos verò Apostolos non à Christo immediatè, sed à Petro claves & iurisdictionem accepisse. Hoc enim totum Ecclesiæ commissum fuit, vt testantur Hieronymus, & Gratianus: Ecclesia verò in Concilio Oecumenico repræsentatur. Hanc nostrā sententiam multi Theologi & Canonistæ contra Eugenium quartū tenuerunt in Concilio Basiliensi, & dixerunt, quæ Thomas, & Bonaventura de primatu Papæ asseruerunt, ea de singulis Episcopis, non de Concilio generali vera esse, & hac vsi sunt ratione, quod Papa non sit perfectior vniversali Ecclesia, & cùm vnus sit, & Romana Ecclesia vna de isto corpore, non

potest

potest illius esse caput, cùm nemo sit caput sui ipsius. Sic Cardinalis Cameracensis in tractat. de potestate Ecclesiæ ait, *Ecclesiam debere obedire Papæ, in ijs quæ ad eius ædificationem pertinent, sed si abutatur sua authoritate, posse à Concilio & Ecclesia iudicari.* Sic Gerson in tractat. de potestate Ecclesiæ ait, *Concilium posse iurisdictionem authoritativam exercere in Papam, vtpote quam dat lex divina, nè aut Ecclesiæ noceat, aut sibi, vt phreneticus.* Sic Occamus in lib. 6. parte prima. Sic Nicolaus Cusanus Cardinalis in lib. 2. de Concordantia Catholica, capite vltimo. Sic Abbas Panormitanus in Concil. Basiliens. Sic Vniversitas Parisiensis & Cracoviensis. In Concilio Basiliensi accuratè tractata fuit hæc quæstio. Ita non modò Scripturas, sed Concilia, & ipsos etiam Adversarios testes habemus. In tribus Papisticis Concilijs, vt antea accepimus, definitum fuit contra Papam, in nullo verò ne Papistico quidem Concilio pro Papa. Sed satis agitata est hæc Quæstio, ac proinde hîc eam concludimus.

Quæstionis quintæ finis.

Sexta Quæstio,

An Concilia possint errare.

CAPVT I.

De statu Quæstionis.



ÆC Quæstio, quam nunc aggredimur, quæ est de fide & authoritate Cōciliorum, est omnium huius Controversiæ Quæstionum gravissima. Cùm enim multa fuerint in Ecclesia olim Concilia celebrata, & in posterum forsan futura sint: quæri meritò potest, vtrùm quicquid illa statuerint, sit necessarium, & an omnia illorū decreta sine examinatione sint recipienda, quasi non possent aliquando in suis sententijs & decretis errare. Non idem hac de re nobiscum sentiunt Adversarij. Primo igitur loco quæremus, quæ sit illorum sententia, deinde quæ nostra, postea verò ad argumenta vtriusque partis veniemus. Fuisse impia multa Concilia constat, in quibus hæresis comprobata fuit, cuiusmodi fuisse Seleuciense, Ariminense, Ephesinum secundum, fatentur Adversarij, in quibus si numerum spectemus, multò plures Episcopi fuerunt, quàm in alijs nonnullis legitimis & Catholicis Concilijs. Melchior Canus lib. 5. cap. 4. loc. com. varias Conciliorum rationes proponit, & distinctè

stinctè propositiones quasdam vel conclusiones recitat. *Prima* hæc est, Concilium generale, quod nec congregatum, nec confirmatum est authoritate Romani Pontificis, posse in fide errare, cuiusmodi fuerũt Ariminense, & Cōstantinopolitanum secundum sub Leone. *Secunda* hæc est, Concilium generale, etiam à Romano Pontifice congregatum errare posse, nisi ab eo confirmatum fuerit, cuiusmodi fuit Ephesinum secundum, in quo Leonis legati adfuerunt, & tamen Dioscori hæretici sententia valuit. *Tertia* Cani conclusio hæc est, Concilium generale à Romano Pontifice congregatum simul & confirmatum, certam fidem facere dogmatum Catholicorum, & contrarium tenere, hęreticũ esse. De Provincialibus verò Concilijs statuit, ea quę à Papa non confirmantur, posse errare, quę verò à Papa confirmantur, non posse, vt totã vim Concilij & generalis & particularis à Papa pẽdere faciat. Nō est necesse aliorum Papistarum sententias repetere. Hæc est omnium, qui videri volunt Catholici. Nam Bellarminus in lib. 2. de Concilijs, duas propositiones persęquitur, priorem cap. 2. quæ est huiusmodi, Fide Catholica tenendum est, Concilia generalia à summo Pontifice confirmata errare non posse, nec in fide, nec in moribus, id est, in tradendis morum præceptis toti Ecclesiæ communibus: alteram cap. 5. quæ hæc est, Concilia particularia à summo Pontifice approbata & confirmata, errare non possunt in fide & moribus.

O 3 Sed

Sed huius propositionis minorem esse fidem ait, quàm alterius, quod tamen ab illo sine aliqua ratione affirmatur, si tota vis Concilii ex approbatione & confirmatione Romani Pontificis pendeat. Verùm hoc ille dicit, quia novit multos Papistas de hac propositione dubitare. Ideo ait priorem propositionem fide Catholica tenendam esse, hanc verò non. At si suæ sententiæ memores sint Pontificii, qua statuunt Papam in rebus fidei errare non posse, necesse est fateantur ea omnia, quæ ab illo confirmantur de rebus fidei, rata esse, sive in generali, sive in particulari Concilio sanciantur. Iam verò cùm sit tantum momenti in Papa, vt sine eo nullum nec provinciale nec generale Conciliú aliquam in se vim habeat, meritò quæri potest, quas partes Episcopi in Concilio habeant, sintne tantùm monitores aut consiliarii, an iudices? Nam si consiliarii tantùm sint, cur nulli nisi Episcopi ad Concilia admittuntur? cur non potius alii, qui multis Episcopis doctiores sunt? Naclantus Clugiensis in tractat. de potestate Papæ & Concilii ait, *Papæ potestatem esse Regiam, huius consiliariam, illam esse penitus definitivam, hanc definitionis ambulatoriæ.* Sed Papistæ nunc volũt Episcopos esse iudices. At quale quæso est hoc illorum judicium? num divinum? Sic illi volũt, Deum fecisse nullos nisi Episcopos in Conciliis iudices, illos non posse in iudicando errare, eò quòd Episcopi sint, alios posse, quantumvis Episcopis multò doctiores fuerint. Ergo si divi-

num

num sit iudicium Episcoporum, num ut ratum firmumq; sit, requiritur Papæ authoritas? Sed de Adversariorum sententia hactenus.

Nostra verò sententia est, Concilia posse errare, non particularia modò, verũetiã generalia, sive à Papa cõgregata & cõfirmata fuerint, sive non, idq; non in facto tantùm, quod Adversarii fatentur, verumetiam in fide & moribus. Et erravisse hoc modo multa Concilia docemus. Sed quibus argumentis Papistæ probent Concilia à Romano Pontifice confirmata errare nõ posse, videamus.

CAPVT. 2.

In quo Adversariorum argumenta proponuntur & diluuntur.

BEllarminus tribus argumentis vtitur. Primum sumitur ex Scripturæ testimoniis. Et hæc testimonia in quatuor classes distribuit. Prima classis complectitur ea testimonia, quæ sunt huius Quæstionis propria. Secunda verò illa, quæ probant Ecclesiam non posse errare. Tertia continet illa testimonia, quæ probant Papam non posse errare. Quarta deniq; illa, quæ probant Episcopos omnes & Doctores Ecclesiæ non posse errare. Secundi generis testimonia antea à nobis tractata sunt, cùm in hac Quęstione versati sumus, An Ecclesia possit errare. Nulla enim alia hîc affert testimonia, quàm quæ in illa Quæstione ab ipso priùs allata sunt. De tertia verò classe testimoniorum

postea erit dicendum, cùm ad illam Quæstionem ventum fuerit, An Papa possit errare. Restat ergo nunc prima tantùm & postrema classis examinanda. Prima verò classis tria Scripturæ loca continet.

Primus locus habetur Matth. 18. 20. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, illic ego sum in medio eorum.* Vnde Adversarius vult cōcludere, Concilia generalia non posse errare in fide. Neq; tamen potest quis facile intelligere, quomodo hoc ex illo loco colligi potest. Sed respondeo cum Calvino, Christum hic nullam mentionem facere vel Concilii generalis, vel nō errandi. Nam duo aut tres non faciunt generale Concilium. Et si Christus sit in medio eorū, qui in suo nomine congregantur, non sequitur illos non errare. Non enim omnes, quibuscum Christus adest, ab errore liberi sunt. Et duo quidem ac tres, qui etiā in Christi nomine convenīt, possunt falli, possunt in multis errare, possūt deniq; ea petere, quæ petenda non sunt, atq; ita spe sua frustrari, & tamen Christus inter eos esse potest. Non enim semper iis errorē Christus detrahit, quibuscum est. Et si hinc tale aliquid colligi potest, quale volunt Adversarii, tum non modò Concilium cum Papa, verumetiam sine Papa errare non potest, nec generale tantùm, sed ne Provinciale quidem, imò ne duo quidem aut tres pii in Christi nomine congregati errare poterūt, quod Papistæ non dixerint. Bellarminus nihil habet, quod probabiliter objiciat

ſiciat,niſi argumētum ſumi à minore ad maius. Quomodo? Si duo aut tres (inquit) congregati in nomine Chriſti obtinent ſemper,quod petūt à Deo, quāto magis Epiſcopi omnes in nomine eius congregati,obtinebunt quod iuſtè petūt, id eſt,ſapientiā & lumē ad iudicāda ea,quæ ad totam Eccleſiam dirigendam pertinent. Et impudenter affirmat, hæc verba pendere ex illis quæ præceſſerunt in verſ. 17.& 18. *Dic Eccleſiæ,& ſi Eccleſiam non audierit,ſit tibi velut Ethnicus & Publicanus.* Et ne quis(inquit)Eccleſiam ſive congregationem Prælatorum contemnendam putaret, adiunxit Chriſtus continuò, *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis ſuper terram,erunt ligata & in cælo &c.* Tum ait illa quę ſequuntur addi,*ubi duo aut tres,&c.*ne quis dubitaret de aſſiſtentia Dei, quando Epiſcopi congregati aliquem damnant vel abſolvunt. Ita hæc verba vult addita eſſe ad ſuperiora confirmāda,& de Epiſcopis propriè intelligi,acſi illorū ſēſus eſſet huiuſmodi. Si Eccleſia in Concilio congregata aliquē dānat vel abſolvit, ego illam ſive dānationē,ſive abſolutionē approbo. Sed *reſpondeo 1*:falſum eſſe,quod ait hęc verba in eū finē inferri. Nā verſ. 19. Chriſtus ait, πάλιν λέγω ὑμῖν:ergo ad aliam cauſam & materiam trāſit,& novā narrationē orditur, de cōveniendo ſcilicet ad petendas eas res à Deo, quæ nobis ſunt neceſſariæ. Atq; hoc quidē ſēſu argumētū ſequetur firmum ex hoc loco à minori ad maius in hunc modum. Pauci,hoc eſt, duo, aut tres,

in

in Christi nomine congregati, impetrabunt ea omnia, quæ illis sunt necessaria: ergo multò magis multi. Sed quid hoc facit ad confirmandam authoritatem Conciliorum, quòd errare non possint? De non errando in ligando, aut in alijs opinionibus, nullum hîc verbum habetur. Christus quidem non modò cum multis adest, verumetiam cum paucis, atque adeo cum uno: ergo si, Christum adesse nobiscum, sit, nos non errare, vel si Christi præsentia eos, quibuscum adest, ab omni errore liberet, tum nullus unquã pius errabit, nam de pijs omnibus ait Christus; *Ero vobiscum usque ad consummationem seculi.* 2. *Respondeo:* Si tutum & firmum argumentum à minori ad maius ex hoc loco colligi potest, tum illud aut rectè sequitur, aut non sequitur. Non sequi, non audent dicere. Si verò sequatur, tum antecedens verum est, & tum duo aut tres in nomine Christi congregati errare non possunt. Ita nihil ex hoc loco singulare pro suis Conciliis concludere possunt Adversarij, nisi ex duobus aut tribus posse constare. Nihil enim ex his verbis colligi potest pro authoritate Concilij generalis, quod non potest afferri pro authoritate duorum aut trium. 3. *Respondeo:* non esse hanc rem ex multitudine, aut externa professione æstimandam. Licèt enim multi conveniãt, qui se & Christianos & Episcopos profiteantur: non tamen continuò necesse est, ut ea omnia suscipiamus, quę ab illis definiuntur. Sed videndum est priùs, an in Christi nomine fuerint
con-

congregati, alioqui nullam apud nos authoritatem habere debent. Illud ergo nobis antea debet exploratum esse, quàm illis fidem adhibeamus. Non enim omnes in nomine Christi congregantur, qui se Christianos & Præsules profitentur. Ergo nec ex hac parte sequitur argumentum. Nam etsi pauci verè pij audiuntur, tamen multi non in Christi nomine, sed contra Christum congregati, ut Præsules Antichristiani, non audiuntur. Non ergo inter illos Christus, sed Satanas, & spiritus erroris versatur. Probandum igitur est Adversarijs, eos omnes in Christi nomine congregari, qui se pro Concilio venditant, quemadmodum Patres Tridentini fecerunt. Nam nisi hoc constiterit, nihil apud nos fidei aut authoritatis merentur, quia etsi plurimi fuerint, tamen nisi in Christi nomine congregentur, turpissimè errare possunt. Iam verò illud, in Christi nomine congregari, duo significat. *Primum* est, eos qui conveniunt, esse veros & sinceros Dei cultores, & sanæ religionis professores, quam non aliundè nisi ex Scripturis didicerunt. Nam qui alio modo Deum colunt, quam quo ille coli vult, quātumvis maximi Pręsules fuerint in Ecclesia, non tamen in Christi nomine congregantur. *Secundum* est, ut eo animo conveniant, ut Christi mādato per omnia obediant, utque eas secum affectiones afferant, ea studia, eas voluntates, quæ pios Christi ministros deceant, ut nihil præter Dei gloriam quęrant, aut sibi proponant, ut veritatem

ritatem ex Scripturis inquirant, inventam alijs commendent, non ut suum regnum stabiliant, Christi discipulos persequantur, hæreses defendant, & pravas consuetudines in Ecclesiam Dei inducant. Si enim hac voluntate & hoc animo congregentur, non authore Christo, aut in illius nomine congregantur, nec inter eos Christus, sed Satanas dominatur. Neutro modo Papistica Concilia sunt in Dei nomine congregata. Nam nec tales sunt Dei cultores, qui ad illa Concilia veniunt, quales Deus requirit, nec hos affectus secum afferunt, aut fines illos sibi proponunt, quos diximus, sed longe alios. Quis enim non videt in illorum Concilijs regnâsse ignorantiā, idololatriam, crudelitatem, tyrannidem, odium Christi, aliaq; huiusmodi, & cæcam superstitionem, potiùs quàm veram religionem? Sed quid sit in Christi nomine congregari, Hilarius antiquus author pręclarè docet in comment. in hūc locum. *Vbi duo atque tres* (inquit) *pari spiritu ac voluntate collecti sint, ibi se medium illorum pollicetur futurum. Ipse enim, qui pax atque charitas est, sedem atque habitationem in bonis & pacificis voluntatibus collocavit.* Et Cyprianus in lib. de unitate Ecclesiæ sic scribit. *Quomodo duo aut tres possunt in nomine Christi colligi, quos constat à Christo, & ab eius Evangelio separari?* Ergo qui legitimè congregantur, debent pari spiritu ac voluntate congregari, debent voluntates bonas & pacificas secū afferre, & eiusmodi, in quibus Christus habitare velit: non debent à Christo & ab eius

ius Evangelio separari. 4. *Respondeo:* Papistæ hæc verba restringunt ad solos Episcopos (eos enim solos in Concilijs suffragium decisivum habere volunt) & de illis tantùm hunc locum intelligi volunt, quasi Christus cum nullis, nisi Episcopis, adesse velit. Sed quis ferat eos sic loquentes, dum quæ communia sunt omnibus Christianis, ad paucos restringunt? Ergo hic erit sensus horum verborum secundum illos. Vbi duo aut tres Episcopi congregantur in nomine meo, nec tam pauci tantùm, sed quot possunt Concilium constituere (quod tamen hîc non statuitur)neque hoc adhuc sufficit, nisi Episcopus Romanus ijs interfuerit; tum Christus erit in medio illorum. Quis ferat tam sordidas & tam putidas interpretationes? Verùm quem locum obtinent (quæso) in Concilijs Episcopi? quid agunt? quorsum conveniunt? num ut iudicent, an ut consulant tantùm & moneant? Sunt ne igitur iudices,an monitores tantùm & Consiliarij? Hoc quidem aliqui existimant, posse eos tantùm monere in Concilijs, posse movere quæstiones & disputare, sed non posse iudicare. Naclantus Episcopus Clugiensis (ut nos antea docuimus) in tractat. de potestate Papæ & Concilij, ait *Papæ potestatem esse Regiam, Concilij tantùm Consiliariam, Papæ penitus definitivam, Concilij definitionis ambulatoriæ*, hoc est, ut ego interpretor,vagæ,& incertæ.Bellarminus verò, & qui nunc sunt Iesuitæ, Episcopos iudices esse

esse contendunt, sed intelligunt procul dubio iudicium ambulatorium, hoc est, planè nullum. Solì enim Papæ revera iudicium deferunt. Sed quæro ab illis, vt antea, quale hoc sit Episcoporum in Conciliis iudicium? num certum, an incertum? num divinum, an humanum? Certum esse volũt & divinum Episcoporum iudicium, aliorum verò omnium incertum, licet Episcopis multò doctiores fuerint. Sed si divinum illorum iudicium sit, num æquum est, ut ex Papa pendeat, nec sine eius authoritate ratum & firmum sit? num penes illum erit divinum iudicium probare vel improbare? Iam verò si Consiliarii tantùm sint, & monitores, & disputatores, alii multi sunt & acutiores disputatores, & magis idonei monitores, quàm Episcopi. Sed de hoc testimonio satis multa diximus.

Secundum Scripturæ testimonium à Bellarmino allatũ habetur Ioan. 16. 13. *Spiritus veritatis docebit vos omnẽ veritatẽ*, sic enim vulgatus interpres legit, sed in Græco codice aliter legitur, τὸ πνεῦμα τ̃ ἀληθείας ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, *Spiritus veritatis deducet vos in omnem veritatem.* Non de solis Apostolis loquitur hîc Christus (inquit Bellarminus) sed de Apostolorum etiam successoribus. Idq; probat ex Ioan. 14. 16. Fateor hoc verum esse. At Episcopos seorsim existentes (inquit) non docet Spiritus sanctus omnem veritatem: ergo saltem Episcopos omnes in vnum congregatos docebit omnem veritatem. Esto. Sed adhuc

nihil

nihil habemus, quod nobis satisfacere possit. Quid enim hoc ad Concilia à Papis approbata? Nam sine Papa Concilia possunt congregari. Ergo postremò adiungit, non esse maiorem aliquam in Ecclesia Cathedram, per quam Deus nos doceat, quàm est summi Pontificis Cathedra, adiuncto consensu generalis Concilij. Si hæc etiam Cathedra (inquit) falli potest, cùm vniversam Ecclesiam docet, nescio quomodo vera sit illa promissio, *Docebit vos omnem veritatem.* Sanè hæ sunt mirificæ conclusiones. Hæc sic cohærent, vt scopæ dissolutæ, & arena sine calce. Sed *respondeo 1.* & quęro, vtrùm ista Christi promissio locum habuit in Apostolis tãtùm congregatis, an in separatis etiam? Primum illud non audent affirmare. Nam tum Apostolos Spiritus sanctus separatos non deduxit in omnem veritatem. At hoc falsum. Nam quæ Paulus scripsit & docuit seorsim à reliquis Apostolis, vera sunt omnia. Deduxit eum Spiritus sanctus etiam à reliquis seiunctum in omnẽ veritatem. Idem quoque de reliquis Apostolis dici potest. Ergo non modò de congregatis, verumetiam de separatis hic locus intelligendus est, & sic non pertinet ad institutum. Hinc enim sequitur, si teneat hoc argumentum in successoribus Apostolorum, illos etiam ne separatos quidem posse errare. 2. Demus hoc ad Apostolos, & ad Apostolorum successores pertinere; interim æquè ad omnes pertinet. Nam non vni Petro hoc dictum est, sed reliquis etiã Aposto-

Apoſtolis. Ergo non modò Petri, ſed reliquorum etiam Apoſtolorum ſucceſſoribus convenit. Et ſic non modò Romanus Pontifex, qui ſe Petri ſucceſſorem eſſe iactat, ſed & alii omnes Epiſcopi, qui aliorum Apoſtolorum ſucceſſores ſunt, vi huius promiſſionis ab errore liberi & immunes erunt. At iſti hunc Spiritum ſolis Petri ſucceſſoribus promiſſum eſſe dicunt, & locum hunc ita interpretantur, ac ſi Petrum ſolum, & ejus ſucceſſores Chriſtus alloqueretur in hunc modum. Spiritus ſanctus te (*Petre*) & omnes tuos ſucceſſores, in omnem veritatem deducet; de reliquis non perinde conſtat. Sed quicquid Petri ſucceſſores ex hoc loco, idem omnes omnium Apoſtolorum ſucceſſores vēdicare poſſunt. 3. Si demus locum hunc ad omnes Epiſcopos in Concilio congregatos, aut quovis modo pertinere; non tamē ex eo ſequitur, eos errare non poſſe. Aliud enim eſt, in omnem veritatem deduci, aliud, non errare. Sed hoc tantùm ſequitur, eos in omnem veritatem neceſſariam deducendos eſſe, non in omnem veritatem ſimpliciter, idq́; paulatim, & ſucceſſivè, non ſimul, & uno momento. Nam ne Apoſtoli quidem ipſi, ſtatim poſtquam Spiritū ſancto donati ſunt, omnem veritatem ſunt edocti, ſed quanta ſufficeret, nec ſtatim omnia, ſed paulatim omnia neceſſaria intellexerunt. Si ergo Concilium erret in re aliqua, non propterea dicendum eſt, non fuiſſe cum illo Spiritum ſanctum, quia intelligitur hic locus tantùm de om-

ni necessaria veritate. Et sic quidem in separatis etiam Pastoribus & Episcopis tenet. Nec ad Episcopos tantùm pertinet, sed ad omnes ex æquo Christianos. Sic enim Christus de omnibus loquitur Christianis Matth. 28. *Ero vobiscum usq; ad consummationem seculi.* 4. Etsi non dubito hæc ad successores Apostolorũ pertinere, nõ modò Episcopos, verumetiam fideles quosvis, præcipuè tamen ad Apostolos ipsos spectant, quemadmodum ex verbis sequentibus constat. Sequitur enim καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν, *& ea quæ ventura sunt declarabit vobis.* Hoc peculiariter Apostolis convenit. Nulli (opinor) Patres, nulla Concilia hoc sibi sument aut vendicabunt. Et Apostoli plura à Spiritu sancto sunt edocti, quàm ulli deinceps Episcopi, aut Christiani. Et quod ad hoc testimonium attinet, ista sufficiant.

Venio nunc ad *tertium* & postremum hujus primæ classis testimonium, quod habetur Act. 15. 22. *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Hinc duo concludit Bellarminus. *Primum* hoc est. Si illud Concilium asserit, decreta sua esse decreta Spiritus sancti; certè idem asserere possunt alia omnia legitima Concilia. *Secundum* hoc est. Si illi Concilio adfuit Spiritus sanctus, quia id necesse erat propter Ecclesiæ conservationem: non minùs aliis temporibus, novis hæresibus exorientibus, id necessarium fuit, atq; etiam erit. *Respondeo 1*: Non sequitur primum argumentum. Si illud Concilium potuit asserere,

decreta sua, esse decreta Spiritus sancti, tum omnia similiter Concilia legitima idem asserere possunt. Nam certum est, hoc fuisse singulare Concilium, & singularibus privilegijs donatũ, propter pręsentiam Apostolorum. Quid enim? nósne Concilium Tridentinum, imò vel Nicænum, huic Concilio Apostolico æquabimus, cui interfuerunt tam eximij viri, Petrus, Paulus, & reliqui omnes Apostoli, qui Christum audiverant, quiq; extraordinariis Spiritus sancti donis præditi erant? Absit. 2. *Respondeo:* posse alia legitima Concilia similiter asserere, decreta sua esse decreta Spiritus sancti, si huic Concilio similia fuerint, & si eandem regulam servaverint, quam in hoc Concilio servârunt & secuti sunt Apostoli. Si enim nihil nisi ex Scripturis statuerint & definierint, quod in hoc Concilio factum est, & si omnes quæstiones ad Scripturas examinaverint, & Scripturæ vocem in omnibus suis decretis secuti fuerint, tum possunt asserere, Spiritum sanctum sic decrevisse. Interim non hinc sequitur, licere cuivis Concilio statuere præter Scripturas, quicquid velit, & dicere, hoc est decretum Spiritus sancti. Nam Apostoli hoc decretum ex Scripturis sanxerunt. At Adversarij nostri in suorum Conciliorum decretis sine Scripturis, imo contra Scripturas definire solent. Ergo cùm sequitur Concilium authoritatem Spiritus sancti docentis in Scripturis, tum potest dicere, visum est Spiritui sancto & nobis. Sed non hinc colligi potest,

quodvis

quodvis Concilium Scripturis obtemperaturum. Priùs igitur videndum est, an id quod decernitur Spiritui sancto placeat, & deinde concludendum est cum Apostolis, visum est Spiritui sancto & nobis. *3. Respondeo:* Quòd Apostoli dicunt, *Visum est Spiritui sancto & nobis*, illud verbum(*nobis*) forsan non placebit Adversariis. Nam intelligitur non modò de Apostolis, sed de Presbyteris etiam & fratribus, vt constat ex vers. 23. Ab illis enim omnibus hoc decretum manavit, ab illis omnibus literæ missæ sunt. Quæro igitur, num illud Cōcilium, in quo Presbyteri congregantur, atque etiam fratres, hoc est, laici, & habent suffragium decisivum, ut Adversarij loquuntur, nō possit errare. Hoc illi non audent affirmare. Nam excludunt ex Concilijs Presbyteros & laicos, & solis Episcopis hanc non errandi immunitatem tribuunt. At hîc decretum his verbis factum est, *Visum est Spiritui sancto & nobis,* id est, Presbyteris & fratribus. Ad secundum argumentum quod attinet, quod fuit huiusmodi, Spiritus sanctus huic Concilio adfuit: ergo & alijs necessariò adest; *respondeo* non sequi. Etsi enim ad hæreses tollendas, authoritas Spiritus sancti requiritur: tamen non est necesse hæreses semper tolli. Est quidem necessarium, ut tollantur hæreses, non tamen est necesse, ut hoc vel illo tempore, & ab his vel illis hominibus tollantur. Imò Deus sæpe patitur Pastores falli, & hæreses in multis Conciliis corroborari, & in Ecclesia latè spargi

ac disseminari, ut iniquitatem nonnullorum ulciscatur. Sed Deus voluit hoc Concilium esse normam aliorum Conciliorum. Oportet ergo, cùm hæreses exoriuntur, convenire, & dare operam ut tollantur, quod fiet, si Scripturam, & Spiritum Sanctum in Scriptura loquentem sequi velimus. Sed omnes non conveniunt ad alia omnia Concilia tam pijs mentibus & affectibus, quàm Apostoli ad hoc Concilium convenerunt. Quare etsi illis Spiritus sanctus interfuit, non tamen de omnibus idem dici potest, qui ad alia Concilia conveniunt. Atque ita de illis testimoniis omnibus, quæ huius quæstionis propria sunt, respondimus.

Nunc ad quartam classem testimoniorũ veniamus, in qua ea testimonia continentur, quæ docent Episcopos & Doctores uniuersos simul congregatos errare no posse. Ait ergo Episcopos in Scripturis & Patribus appellari Pastores, Magistros, Doctores, Speculatores, Patres, Oculos. Et pro hoc ultimo titulo adducit Concilium Toletanum octavum, cap. 4. & Ambros. in lib. de dignitate sacerdotali, cap. 6. Hæc negari non possunt; sunt enim in Scripturis & Patribus manifesta omnia. Sed quid ex his colligit Adversarius? Hinc scilicet huiusmodi colligit argumentum. Si iubemur à Deo Episcopos audire & sequi, vt *Præpositos*, Pastores, Doctores, Speculatores, Patres; certè vel illi nos fallere non poterunt, vel nos poterimus culpam in Deum rejicere: at sine dubio singuli Epis-

Episcopi errare possunt,& aliquando errant,& inter se quandoque dissentiunt, vt nesciamus, quisnam eorum sequendus sit: ergo saltem omnes simul, præsertim in nomine Domini congregati,quando vno ore nos docent,errare non poterunt. *Respondeo 1*: admirabilem esse & penè incredibilem vecordiam & vertiginem Iesuitarum. Episcopi enim vocantur Præpositi,Pastores, Doctores, Speculatores, & Patres,& multis præterea nominibus ac titulis in Scripturis & Patrum scriptis ornantur, & nos etiam illos vt tales audire & sequi iubemur,non quòd illi semper tales sint, sed vt se debere esse tales meminerint, & vt nos eos pro talibus agnoscamus,cùm tales fuerint. Non enim iubemur illos vel sequi, vt duces, vel audire vt magistros, nisi re vera tales fuerint. Si verò Pastorum tantùm locum obtineant,& veri Pastores non sint,tum illos sequi & audire prohibemur. Sic Matth. 15.14.de Scribis & Pharisæis Christus ait, *Sinite eos, sunt enim duces cæci cæcorum.* Et Ioan.10. 5. idem Christus de suis ovibus verba faciens ait, *Alienum nequaquam sequentur, sed fugient ab eo, quia non nôrunt vocem alienorum.* Et Matth. 7. 15. ait, *Cavete à Pseudoprophetis.* Ergo non debemus semper eos audire, qui tenent loca Pastorum, sed oportet priùs disquirere, sintne illi tales,quales se haberi volunt, necne. Non enim sequitur, Sedent in loco Pastorum, possident Cathedras Episcoporum, profitentur se Ecclesiæ Doctores esse: ergo sunt audiēdi; quia Chri-

ſtus ipſe præmonuit duces cæcos fugiendos, & Pſeudoprophetas cavendos eſſe. 2.*Reſpondeo*: & quæro, vtrùm hoc de Paſtoribus congregatis tantùm, an de ſeparatis etiam præcipitur, vt eos ſcilicet ſequamur, ijsque obediamus. Si de congregatis tantùm, tum ſoli & ſeparati nō ſunt audiendi. At Chriſtus etiam de ſeparatis ait, *Qui vos audit, me audit*, & Apoſtolus Heb. 13. *Obedite præpoſitis*. Quare ſic contra Bellarminū argumentamur. Aut illi non poſſunt fallere, aut poſſumus culpam in Deum reijcere. Nam certè Deus iuſſit audire, obedire, ſequi. Ita iſta ratione non modò Epiſcopi congregati, ſed ne ſoli quidem & ſeparati poſſunt fallere. Nónne vidit cætus Ieſuita, quàm malè hoc ſequatur argumentum? Si illi falluntur, & nos illos ſequimur, & ambo in foveā cadimus, non poſſumus Deū accuſare. Sic ſolet Deus ſæpe noſtram ingratitudinem vlciſci, vt cæcos nobis duces mittat. 3.igitur *reſpondeo*: Epiſcopos, etſi loca & Cathedras Paſtorū obtineant, tamen nec congregatos nec ſeparatos poſſe nobis obtrudere, quicquid ipſi voluerint, nec ab errore liberos & immunes eſſe. Sed noſtrum eſt examinare, & cavere, quid audiamus, ſi falli nolumus. Oportet ergo inprimis diſquirere, & diſpicere, num veri Paſtores ſint, necne; ſi non ſint, à nobis nō ſunt audiendi. Paſtores verò Papiſtici ſunt ijs Paſtoribus ſimiles, de quibus Ezech. 34.2.& 3. legimus, qui debebāt quidem gregē paſcere, at ſeipſos nō gregē paſcebant. *Sic ait Dominus Iehova* (inquit Propheta)

pheta) *væ Pastoribus Israelis, qui pascebant semet-ipsos, nónne greges à Pastoribus pascuntur? Adipem comeditis, & lanam induitis, quod opimum est, mactatis, gregem non pascitis.* Atque ita de primo Adversarij argumento satis multa diximus: lõgiorem enim aut accuratiorem responsionẽ nõ desiderat. Iam sequitur vt ad reliqua veniamus.

Secundum verò Bellarmini argumentum sumitur ex testimonio & traditione veterum Patrum. Atq; hoc quidem est quadripartitũ. *Primò* enim ait, Patres affirmare, Concilij generalis sententiam esse in causa fidei, vltimum Ecclesię iudicium, à quo appellari non possit, quodque nullo modo irritari vel retractari queat. Atq; in hunc finem affert *A*thanasium in Epist. ad Epictetum, Augustinum in Epist. 162. & Leonem Epist. 50. ad Martianum, in qua Epistola petit Leo ab Imperatore, vt semel definita in Concilijs generalibus non retractentur. Et sic alij multi. *Respondeo 1:* Si demus Cõcilium generale esse vltimum inter homines iudicium; non tamẽ sequitur esse ideo semper & necessariò verum, quod in Cõcilio definitur. Quid enim impedit, quò minùs supremũ & vltimũ iudiciũ humanũ erret & fallatur? *2. Respondeo:* Si propriè loquamur, nullum Concilij iudicium esse. In causis enim fidei nullum iudicem habemus, nisi Spiritum sanctum in Scripturis loquentem. Hunc si sequatur Conciliũ (quod eius munus est) nõ errabit; sin minus, errare necesse est. Ipsum ergo Cõcilium nõ iudicat, sed iudiciũ Spiritus sancti

 pro-

pronunciat. 3. *Respondeo*: hos Patres loqui de eiusmodi Conciliis, in quibus Spiritus sanctus adfuit, & veritas ac fides Catholica confirmata, hæresis verò damnata fuit, nempe de Concilio Niceno, Constātinopolitano primo, Chalcedonensi, & Ephesino primo. Si velimus esse Catholici, & Ecclesiæ filij, debemus ea amplecti & recipere, quæ ab illis Conciliis decreta & definita sunt, atq; in iis acquiescere, non propter ipsorum Conciliorum authoritatem, sed propter authoritatem Spiritus sancti, quam illa Cōcilia secuta sunt. Decreta enim sua omnia ex Scripturis confirmârunt. Sed hoc non probat nullum Concilium posse errare. *Secundò* ait Adversarius, Patres & Concilia docere, esse hæreticos & excommunicandos omnes, qui nō acquiescunt plenariis Conciliis. Atque in hunc finem affert Leonem in Epist. 78. ad Leonem Augustum, qui ait, non posse inter Catholicos censeri, qui resistunt Nicæno vel Chalcedonensi Concilio, & alia quædam eiusmodi testimonia. *Respondeo*: Loquuntur hi Patres, quos affert Adversarius, de illis Concilijs, in quibus fides Catholica contra hæreticos propugnata fuit. Qui his Concilijs resistunt, ij revera Catholici esse non possunt, non quòd authoritatem Conciliorum contemnant, sed quòd fidem in his Conciliis approbatam non recipiant. Non loquitur Leo de omnibus Conciliis in genere, sed de generalibus tantùm illis Conciliis, quæ ante illius tempora habita sunt. Num prop-

propterea sequitur, idem de omnibus Conciliis concedendum esse? Nequaquam certé, nisi constiterit illis similia esse. Nos libenter cum Gregorio magno lib. 1. Epist. 24. profitemur, anathema ijs omnibus dicendum esse, qui non recipiunt quinque illa generalia Concilia, quæ ante Leonis & Gregorij tempora habita sunt, iisque omni ex parte consentiunt. Nam ij certè fidem Catholicam negant, & hæretici sunt, non propter Conciliorum authoritatem, sed propter Scripturarum doctrinam. Non ergo hinc sequitur Concilia nunquam errare, sed semper verum statuere, nec eos omnes hæreticos esse, qui negant Concilia semper verum affimare, quia omnia Concilia Scripturarum doctrinam non sequuntur. *Tertio* loco ait Bellarminus, Patres docere, decreta legitimorum Conciliorum generalium esse divina, & à Spiritu sancto edita. Sic Constantinus in Epist. ad Ecclesias, quæ habetur apud Eusebium l. 3. de vita Constantini, vocat Concilij Nicæni decreta, *cœlestia mandata*. Sic Athanasius in Epist. ad Episcopos Africanos. *Verbum Domini per Oecumenicam Nicæa synodum manet in æternum*. Sic Nazianzenus in oratione in Athanasium ait, Episcopos ad Concilium generale Nicenum à Spiritu sancto congregatos esse. Sic Cyrillus in lib. 1. de Trinitate vocat decretum Concilij generalis Nicæni *divinum & sanctissimum oraculum*. Sic Leo in Epist. 53. ad Athanasiũ, & 54. ad Martianum Imperatorem affirmat, Nicæni Concilij cano-

canones per Spiritum sanctum ordinatos esse, & in Epist. 37. ad Leonem Augustum asserit, Concilium Chalcedonense per Spiritum sanctum congregatum fuisse. Sic Gregorius Magnus in lib. 1. Epist. 24. affirmat se venerari quatuor prima Concilia, sicut quatuor Evangelia. Sic Nicolaus primus in Epist. ad Michaelem decreta Conciliorum vocat *divinitus inspiratas sententias*. Deniq; Concilia ipsa affirmant, se in Spiritu sancto congregata. *Respondeo*: ista omnia concedi posse, sine ulla omnino nostræ defensionis damno aut detrimento. Quæ enim in Conciliis ex Scripturis & authoritate Spiritus sancti definiuntur, ea divina esse quis negabit? vt quæ in Concilio Niceno definita sunt contra Arium, quæ in Constãtinopolitano primo cõtra Macedonium, quæ in Ephesino primo contra Nestorium, quæ in Chalcedonensi contra Eutychetem? Ergo verè Gregorius dicere potuit, se hæc Concilia vt quatuor Evangelia venerari. Quod tamen ille non dixit, quasi quęcunq; in his Conciliis definita sunt, eâ reverentia ac veneratione amplecteretur (nam quòd æquatus fuit Romano Pontifici Episcopus Constantinopolitanus, id nec Gregorius ipse, nec Leo vnquam ferre potuit) sed quòd illam fidei doctrinam, quæ ab his quatuor Conciliis contra illos quatuor hæreticos propugnata fuit, tam esse veram, quàm ipsa Evangelia, minimè dubitaret. Et id quidem nos concedimus, verùm non quòd ita Conciliis istis visum est, sed
quia

quia hanc ipſam fidem Evangelia tradiderunt. Non tamen hinc ſequitur, omnia, quæ in Eccleſia fuerunt, Concilia divina fuiſſe, & ab errore libera, ſed illa tantùm, quorum decreta Scripturę & Spiritus ſancti authoritate nituntur, cuiuſmodi illa quatuor Cōcilia prima fuerunt. Quare ex his Patrum teſtimoniis nihil cōtra nos cōcludi poteſt. Quarto loco affirmat Bellarminus Patres docere, & profiteri, moriendum potiùs eſſe, quàm recedendum à decretis generalium Conciliorum. Sic Ambroſius in Epiſt. 32. *Sequor* (inquit) *tractatum Nicæni Concilij, a quo me nec mors, nec gladius poterit ſeparare*. Sic Hilarius exilium paſſus eſt propter Nicænam fidem, vt ipſe teſtatur in fine libri de ſynodis. Et Victor Africanus in libris tribus de VVandalica perſecutione deſcribit plurima celeberrima martyria Sanctorum, qui pro fide in Concilio generali explicata mortui ſunt. Et Hieronymus in libro contra Luciferianos, loquens de Athanaſio, Hilario, Euſebio, aliiſque ſanctis confeſſoribus: *Quomodo poterant* (inquit) *adverſùm ſynodum Nicænam facere, propter quam exilia ſuſtinuerunt?* *Reſpondeo*: vera hæc eſſe. Quis enim pius Chriſtianus non mille mortes ſubiret pro illa fide, quæ fuit in Nicæna ſynodo propoſita, cùm ſalutis noſtræ baſis ſit? Decrevit enim illa ſynodus, Chriſtum eſſe Patri ὁμοούσιον. Hæc ſententia nullo modo dimittenda, aut nobis extorquenda eſt. Quare mori potiùs debemus, quàm vt illam labe-

labefactari sinamus. Sed non sequitur, Concilia nulla posse errare; quia omnia Concilia non sunt eiusdem generis, fidei, & authoritatis cum Concilio Nicæno. Munita est hæc Concilij Nicæni sententia authoritate Scripturæ, & Spiritus sancti. Pro Scripturis verò moriendum est, sed non pro Concilio Nicæno simpliciter. Pro fide igitur synodi Nicænæ mori oportet, non quia ab ipsa synodo, sed quia à Spiritu sancto in Scripturis proponitur. Nam Synodus non fuit huius fidei inventrix, sed hanc esse Scripturarum doctrinam declaravit. Et quanquam antea ὁμοούσιον fuit ferè inauditum, tamen nunc non tenere ὁμοούσιον, est fidem rejicere. Nã hæretici suos esse agnoverunt, qui ὁμοούσιον non tenuerunt.

Sequitur *tertium* & vltimum Bellarmini argumentum, quod sumitur à ratione naturali, ut loquitur ille. Sic enim Adversarij nostri sæpe solent in his causis de fide & religione, cùm alia argumenta deficiunt, ad naturæ subsidia confugere, & ex natura rationes petere. Nos verò Scripturæ sumus, non naturæ discipuli, etsi integram sinceramque naturam non respuimus. Sed Bellarmini rationes à natura corrupta & depravata sumuntur. Quatuor ille affert rationes huiusmodi, à ratione naturali ductas.

PRIMA eius ratio est huiusmodi. Si Concilia generalia possent errare, nullum esset in Ecclesia firmum iudicium, quo controversiæ componi, & unitas in Ecclesia servari posset.

Nihil

Nihil enim est maius generali Concilio legitimo & approbato. *Respondeo 1:* Si vult Adversarius Concilium generale cum Papa esse summum iudicium, tum aut iudicium solius Papæ summum non est, aut duo simul summa iudicia in Ecclesia erunt. Non audet, sat scio, dicere, Papę non esse summum iudicium, quia illum Adversarij Christi Vicarium in terris faciunt, & non posse errare contendunt. Quare si Christi iudicium summum sit, & eius quoque iudicium summum esse necesse est. Sic Papæ iudicio nullum planè erit augustius. Duo verò summa iudicia statuere, à ratione prorsus abhorret, nisi fortè idem iudicium Papæ solius sit, & Concilij cum Papa. Si Concilium addat aliquid ad iudicium Papæ, tum non erit Papæ iudicium summæ authoritatis. Sed si tota Ecclesia in unum locum conveniret, possétne Christi iudicium firmius aut certius facere? nullo modo. Similiter de Papa iudicandum est secundùm Adversarios. Sic Papæ solius iudicium erit, Concilij nullum. *2.* Nullum esse in Ecclesia iudicium firmum, si Concilia errant, falsum est. Nam est iudicium Spiritus sancti in Scripturis loquẽtis. Hoc iudicium est firmum, hoc certum est, hoc est divinum & perpetuum iudicium. Qui nullum in Ecclesia Dei iudicium pręter Concilia agnoscit, is Scripturas in nullo loco & numero habet. Hominum verò iudicium est infirmum, quia & multa ignorant, & affectibus pravis sæpe indulgere solent; at iudicium Spiritus sancti

ſancti vnum ſemper & idem eſt. Quare ſic diſputo. Aut eſt Scripturarum aliquod iudicium, aut nullum. Nullum eſſe Scripturarum iudicium, non audent (opinor) dicere. Vocantur enim Scripturæ iudicia Dei, lex Dei, verbum Dei: ergo in Scripturis iudicat, loquitur, & docet nos Deus. Si verò aliquod ſit Scripturarum iudicium, nónne illud ſummum & maximum eſt? nũ Papæ maius quàm Scripturæ, id eſt, Dei iudicium erit? Quis id auſit affirmare? Niſi fortè, vt ſunt impudentes, negabunt Adverſarii, aliquod eſſe Scripturæ iudicium. At hoc perinde eſt, acſi Scripturas ipſas è medio tollerent. Verùm hoc tacitum (inquiunt) eſt, & occultum iudicium. Imò apertum, & manifeſtum. Si occultum ſit, iis tantùm qui pereunt occultum eſt, quorum mentes Deus huius mundi occæcavit, vt eſt 2. Cor. 4. 4. Quid? æquumnè fuit, vt nos Deus ſemper viva voce alloqueretur? nónne ſatis eſt, quòd voluntatem ſuam Scripturis patefecit? Si hodie ipſe loqueretur, ut olim, nulla alia voce uteretur, quàm qua uſus eſt in Scripturis. Iudex omnis voce ſua iudicat, Scriptura verò Dei vox eſt, qua ipſe iudicat. Quare videtis, quã iniquè de Scripturis iudicent & ſtatuant Adverſarii, qui illius nullum eſſe in cauſis fidei iudicium, in quo acquieſcamus, affirmant. Verùm oportet nos eas defendere, & ab illorum iniuriis ac calumniis vindicare. Sed adhuc inſtant Adverſarii, & aiunt, ſic nunquam futurum eſſe finem controverſiarum, ſi ſolis Scripturis iudici-

dicium deferatur. 3. igitur *respondeo*: non esse hoc expectandum vnquam in hoc mundo, vt omnium de fide & religione controversiarum finis sit, non quòd obscurum sit Scripturæ iudicium, sed propter hominum pravitatem ac perversitatem. Quòd nolunt homines in Scripturis acquiescere, sed hæreses etiam reclamantibus Scripturis obstinatè defendunt, & in varias opiniones distrahuntur, hoc ipsorum non Scripturarum vitio fit. Nam si vellent homines perversitatem suam deponere, & in Scripturæ sententia placidè acquiescere, statim harum controversiarum & contentionum finis esset. Et ideo datæ sunt Scripturæ, vt in omni controversia, quid verum sit, intelligamus. Quòd perversi verò in ijs non acquiescunt, eorũ culpa est. Sequuntur enim suas affectiones, & sunt, vt Scriptura loquitur, *αὐτοκατάκριτοι*, *suopte iudicio condemnati*. Si verò Concilij esset iudicium supremum, quod vult Adversarius, tum meritò affirmare possemus, nullum fore finem controversiarum. Homines enim mẽtes mutant, sed Spiritus sanctus semper est idem. Ergo si vult Adversarius tale aliquod esse iudicium, quod cogat omnes homines, tam malos, quàm bonos, tam eos qui sunt perverso ingenio, quàm eos qui ingenio placido sunt, in pace externa acquiescere, & vnam sententiam amplecti; nullum certè tale iudicium est. Esse enim aliquod eiusmodi iudicium à Deo datum, est merum verumque com-

commentum, quia semper erunt pravi & perversi homines, semper hæreses erunt. At si vult eiusmodi esse iudicium, quod potest omnes controversias tollere & componere, si velimus in eo acquiescere; Scripturæ iudicium tale est. Atque ita de prima Adversarij ratione satis est à nobis responsum.

SECVNDA eius ratio sic se habet. Si non esset infallibile iudicium Conciliorum generalium, possent meritò revocari in dubium omnes damnatæ hæreses. Diceret enim Arius errâsse Nicænum Concilium, Macedonius Constantinopolitanum, Nestorius Ephesinum, Eutyches Chalcedonense. *Respondeo 1*: Si ea vis Conciliorum esset, vt quod semel sit in illis statutum, nunquam postea revocari, aut in dubiũ vocari posset, tum post damnatum Arium in Concilio Nicæno, acquievissent omnes Christiani in iudicio Concilij, & desiissent deinceps de quæstione in illo Concilio definita litigare. At constat multa postea eâdem de re Concilia habita esse, in quibus eadem Quæstio denuò exagitata est. Sed objicient eos, qui non paruerunt authoritati Concilij Nicæni, fuisse Arianos, ac proinde istam responsionẽ nullius planè momenti esse. *Respondeo* igitur 1: non fuisse illos omnes Arianos, quibus ὁμοούσιον displicuit. Constat enim Episcopos illos, qui in Ariminẽsi Concilio convenerunt, maxima ex parte Catholicos fuisse, qui tamen in Arianam hæresin errore non voluntate inciderunt. Respuerunt enim

tum & damnarunt ὁμοούσιον ob pacem Ecclesiæ, quod cessit tamen postea in maiorem contentionem. Sed adhuc *respondeo*: si fuisset hoc ἀξίωμα certū & necessariū, Conciliū à Papa confirmatū non posse errare, ne Ariani quidem ipsi restitissent, aut si restitissent, damnati postea ob eam rem fuissent, quòd Concilio non obtemperarent. Verùm hoc illis nunquam objiciebatur. Nusquam enim damnatos fuisse Arianos legimus, quòd dicerent revocari posse, quæ semel in Concilio decreta sunt, aut quòd Concilium errare posse crederent. Illi Scripturis postea oppugnati & damnati sunt, non authoritate alicuius Concilii. Et oportet certè hæreticos omnes authoritate Scripturæ refutare. Nā illi solent Concilia negare, & non magni facere. Sic illi Patres olim fecerunt, sic nobis faciendum est. 2. *Respondeo*: illa prima Concilia nō posse meritò in dubium vocari, nec posse hæreses in illis Conciliis damnatas iure revocari. Nos enim edocti sumus ex sacris Scripturis, dogmata illa vera esse, quæ ab illis Conciliis sācita sunt, & hæreses ab iisdem oppugnatas & damnatas falsissimas esse. Quid enim? num in dubium vocandum, an Christus sit Deus? an Spiritus sanctus sit Deus? an Christi duæ naturæ sint, persona una? Nullo modo. Quare non debemus aut cum Ario, aut cum Macedonio, aut cum Nestorio, aut cum Eutychete sentire, sed eos omnes damnare & detestari, non tam propter autho-

ritatem illorum Conciliorum, à quibus ipsorũ hæreses dãnatæ sũt, quàm propter ipsius Scripturæ authoritatem. Hodie quidem à nonnullis revocantur hæ hæreses, sed impiè, cùm nolunt lucem aspicere omnibus in his Conciliis declaratam. Et hæc maxima Conciliorum vtilitas est, ut quod clausum est aperiatur. Oportet verò nos has hæreses eodem modo nunc refutare & iugulare, quo Patres olim, nempe authoritate, & testimoniis Scripturarum, non objicere illis Cõcilia. Nam huiusmodi hæretici Concilia irridebunt, & in nullo precio, aut numero habebunt. Quare nos in huiusmodi argumentis à Conciliorum authoritate petitis tractandis & proponendis oleum planè & operam perderemus. Et de secunda ratione satis multa diximus.

Venio nunc ad *TERTIAM*, quæ est huiusmodi. Si Concilia generalia errare possent, nulla esset certitudo de multis sacræ Scripturæ libris. Nam de Epistola ad Hebræos, de secunda Epistola Petri, de secunda & tertia Ioannis, de Epistolis Iacobi & Iudæ, & de Apocalypsi (quos libros, inquit, etiam Calvinistæ recipiunt) tamdiu est dubitatum, donec à Concilio res declarata est. *Resp.* 1: non posse nos meritò de ullius Canonici libri authoritate dubitare, nõ propter Cõcilii alicuius sententiã interpositam, sed propter alias graviores causas, de quibus alibi diximus. 2. Si ista res à Concilio pendeat, & in illius authoritate posita sit, semper erimus dubii. Nam hactenus in nullo generali Cõ-

cilio

cilio fuit iſta res definita, niſi volumus Florentinum & Tridentinũ Conciliũ pro generalibus Conciliis habere, quæ paucis abhinc annis habita ſunt, & Papiſtica atq; Antichriſtiana Concilia fuerunt, Et ſi hæc Concilia probamus, nũ rem dubiam fuiſſe tam multis antè ſeculis exiſtimabimus? 3. *Reſpondeo:* Bellarminum ipſum ſecum pugnare, & ſibi apertè adverſari. Nam ſi hoc ſolius Concilii ſit, pronunciare hunc librũ eſſe Canonicum, illum verò non, tum Papa nõ poteſt hoc iudicare, & ſic Concilium erit ſupra Papam, vtpote cùm illius iudicium magis authenticum ſit. Aut ſi Papa poteſt, quod certè eum poſſe neceſſe eſt, ſi verum ſit, quod de illo ſtatuit Adverſarius, eum ſupra Concilium eſſe, quare per mille quadringentos annos nunquã hanc rem definivit? 4. De libris illis alibi à nobis reſponſum eſt, de quibus olim dubitatum fuit. Canonici libri omnes fuiſſent habiti pro Canonicis, etſi nullum unquam fuiſſet generale Concilium. Ergo hæc commentitia cauſa eſt.

Nunc venio ad *QVARTAM* Bellarmini rationem, quæ eſt huiuſmodi. Si omnia Concilia poſſent errare, illud certè ſequeretur, ut omnia intolerabilem errorem admiſerint, ac proinde nullo honore digna ſint. Nam error intolerabilis eſt, proponere aliquid credendum, tanquam articulum fidei, de quo non conſtet, an ſit verum vel falſum: at Concilia præcipua, vt Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum,

num, Chalcedonense, ediderunt nova Symbola fidei, aut certè novas sententias, quas voluerunt haberi, tanquam articulos fidei. Quis autem dicere audebit, illa Concilia quatuor intolerabilē errorē continere, nulloq; honore digna esse, cùm ea videamus (inquit) etiam ab Adversariis cum honore suscipi, & non raró in testimoniū veræ doctrinæ adduci? Restat igitur, vt firma & infallibilia esse credamus eorum iudicia. *Respōdeo*, 1: Non sequitur hoc argumentum, Errare poterant Concilia: ergo erraverunt. Nam quòd non erraverint quędam Concilia, hinc fuit, quòd verbum Dei sequerentur, vtq; omnia decreta sua illi consentanea essent, sedulò curarent. Et certè quæcunque Concilia sic faciunt, ea non errant, quę secus, ea errare necesse est. 2. Illa Concilia non proponebant aliquid, ut articulum fidei, de quo non constaret, verúmne an falsum esset. Nam constabat esse verissima, quæ ab illis proponebantur, non propter ipsorum Conciliorum, sed propter Scripturarum authoritatem. Antichristianum verò est illud Concilium, & summam Ecclesiæ Dei iniuriam facit, quod aliqua huiusmodi decreta sua authoritate proponit, quæ ex Scripturis nequaquam constant. 3. Ediderūt revera Symbola quædam antiqua illa Concilia, verùm non ex suo ingenio, sed ex Scripturis, quæ sciebant verissima esse. Et Conciliis quidem licet Symbola eiusmodi edere, quæ clara Scripturæ authoritate nituntur. Atque

hæc

hæc sunt omnia Bellarmini argumenta.

Cardillus verò in disputatione, 9. uno præclaro argumento utitur, quod sic se habet. Spiritus sanctus Conciliis generalibus præsidet: ergo non errant. *Respondeo:* Spiritum sanctum quidem esse magistrum veritatis, sed non vbique omnibus Conciliis adesse. Nam multi Episcopi in nonnullis Conciliis frequentissimè convenerunt, qui tamen Spiritus sancti magisterium sequuti non sunt. Qui nihil magis quam verum quærunt, idq; vbi quærendum est, nimirum in Scripturis, ii certè non errant. At hoc est abuti Spiritu sancto, sequi suum iudicium, & dicere Spiritus sancti iudicium esse. Spiritus sanctus non alligatur ad Concilia, sed Concilia ad Spiritum sanctum.

Melchior Canus lib. 5. cap. 4. conclus. 3. sic ratiocinatur. Vel tenetur populus stare definitioni Concilii, vel non tenetur. Si tenetur, tum errante Concilio, populus in errore est. Si non tenetur, illud Christi dictum non valet, *Qui vos audit, me audit*, & præceptum illud, *Super Cathedram Mosis sedent Scribæ & Pharisæi, Omnia ergo quæ dixerint vobis vt servetis, servate & facite. Respondeo, 1:* Populus non tenetur simpliciter omnes Pastores audire, & omnia, quæ docuerint, suscipere, sed ea quæ dixerint examinare, & si cum Scripturis consentiant, recipere, sin minùs, rejicere. Ergo si Conciliũ aliquid non verũ proposuerit, populo licet

repugnare. 2. Hæc Scripturæ testimonia à Cano allegata, nihil ad Concilium generale spectant. Nam Christus ait, *Qui vos audit*, scilicet Pastores & Episcopos vera docentes, non, qui Concilium audit. Ergo sic nullus Pastor erraret, & sic etiam ne Scribæ quidem & Pharisæi errarent.

Aliud Cani argumentum est huiusmodi. Ecclesia Catholica semper accepit decreta Conciliorum, & habitos hæreticos ab ijs, pro hæreticis habuit. *Respondeo*: Hæreticus nemo est, qui Concilium, sed qui doctrinam Spiritus sancti in Concilio propositam respuit. Habiti autem hæretici sunt magis, quòd Ecclesia suam authoritatem interposuit. Verùm simpliciter non est penes Concilium, facere aliquem hæreticum, sed pronunciare tantùm ex Spiritus sancti authoritate, aliquem hæreticum esse.

Rhemenses duo Scripturæ loca afferunt in hac causa. Primus locus habetur Luc. 1. 3. vbi Lucas ait se dedisse operam, vt omnia disquireret, vel, se omnia altè repetita penitus assequutum esse, vnde colligunt, sacros authores industriâ vsos esse, vt veritatem in ijs rebus, de quibus scriberent, investigarent, & sic Spiritum Sanctum illos direxisse, & similiter Concilia facere. *Respondeo 1*: Quòd Patres in Concilio cōgregatos cum Luca Evangelista comparant, ineptè faciunt. Lucæ enim etiam soli Spiritus sanctus adfuit, & fuit ille extraordinarium Spiritus Sancti ὄργανον, & ad illud munus extraordinariè de-

deſignatus. Nullus inter eos Lucæ ſimilis eſt,imò ne omnes quidem ſimul congregati ſunt illi ſimiles. Tum enim poſſent Eccleſiæ prȩſcribere,quid credendum, quidq́ue faciendum eſſet, & omnia illorum decreta eſſent tanquam Evãgelia. 2.Fatentur Adverſarij, Concilia poſſe in facto errare. At Lucas in nullo facto, aut facti circumſtantia erravit, vt qui Chriſti manus fuerit. Ait enim ſe omnia penitus aſſequutum eſſe.

Aliud argumentum colligunt Rhemenſes ex Ioan. 16.13. vbi Chriſtus Apoſtolis ait. *Cùm venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Vbi obſervari cupiunt, Spiritum ſanctum dici ſpiritum veritatis, vt Eccleſiæ, & Papæ Eccleſiæ capiti ſummoq́ue Rectori, & Concilijs denique generalibus promittitur,non vt promittitur ſingulis privatim fidelibus, & bonis viris, quia ſingulos in omnem veritatem non deducit.*Reſpondeo*:Niſi eſſent omnium hominum impudentiſſimi, non ſic ſcriberent. Quid enim? nónne Chriſtus Apoſtolos hoc loco allocutus eſt? nónne illis ſingulis Spiritum veritatis promiſit?ergo ſpiritus veritatis non minùs ſingulis,quàm toti Eccleſiæ promittitur. Idem Spiritus ſingulis fidelibus promittitur, qui toti Eccleſiæ. Diſiunctiſſimis enim locis idem Spiritus adeſſe poteſt. Et de Adverſariorum argumentis hactenus.

CAPVT 3.

In quo nostra argumenta proponuntur.

NVnc venio ad arcem defensionis nostræ certis argumentorum præsidijs muniendã. Magna certe causa est,& quantulacunq; nobis videtur,ab Adversarijs procul dubio maxima existimatur. Illorum argumenta quàm infirma, quàm inepta, quàm futilia fuerunt, vidimus: nunc nostra proponamus, quibus Concilia errare posse probamus. Quanquam enim hoc ex eo sequatur, quòd Ecclesia potest errare: tamen proprium tractatum requirit. Vtemur verò in hac causa quatuor argumentorum generibus. *Primò, S*cripturæ loca quædam proponemus. *Secundò*, rationes *S*cripturę cõsentaneas. *Tertiò*, certos Conciliorũ errores proferemus. *Quartò*, Patrum atque aliorum testimonia colligemus.

De Concilijs non multa legimus in *S*cripturis. Calvinus l.4. instit. cap. 9. paragrapho 3. nõnulla testimonia de *P*astoribus Ecclesię in veteri Testamẽto cumulat. Isai. 59. 10. *Speculatores eius cæci omnes, neque quicquam noverunt. Omnes canes muti, nec valent latrare. Iacentes dormiunt, & amant dormitionem, & Pastores ipsi nihil sciunt, nec intelligunt, & in vniversum respiciunt ad vias suas.* Ierem. 6. 13. *A Propheta vsque ad Sacerdotem, quisque sectatur mendacium.* Et idem 14. 14. *Prophetæ mendacium prophetant in nomine meo.* Oseæ. 9. 8. *Speculator Ephraim cum Deo, laqueus*

ancupis

aucupis, odium in domo Dei. Ezech. 22. 25. *Coniuratio Prophetarum in medio eius, sicut leo rugiens, & qui rapit prædam, sacerdotes eius violârunt legẽ meam, & prophanaverunt sancta mea.* Ex his & huiusmodi Prophetarũ querelis colligi potest, illius Ecclesiæ Pastores perditos fuisse, & non modò cæcutijsse, verumetiam gravissimè erravisse, & in maximis erroribus constitutos fuisse: ergo non semper veritas in Concilio Pastorum reperitur. Bellarminus ad ista testimonia tripliciter respondet. *Primò* ait, omnes in Scripturis sæpe reprehendi propter aliquos: ergo hæc testimonia nõ probare omnes veteris Testamenti Pastores, Sacerdotes, & Prophetas, simul aliquo tempore mendaces & sceleratos fuisse, sed tantùm aliquos. *Respondeo*: non eò à nobis referri hæc testimonia, vt ex his probemus, omnes simul Pastores & Prophetas veteris Testamenti fuisse aliquando tales, quales in his locis describuntur, sed plurimos, & maximam partem: & fateor nõ semper Scripturam, cùm sic loquitur, nullum excipere, vel vniversos sine exceptione intelligere, sed cõplurimos tantùm, & maiorem partem. Sic cùm Paulus ait Philipp. 2. *Omnes quæ sua sunt quærũt*, nõ omnes sine exceptione intelligit, sed plerosq;. Multi enim Christum quærebant, sed plures sua. Sic etsi forsan inter Prophetas & Pastores illos pauci pij & boni fuerunt: ex his tamen locis cõstat, multitudinẽ pravã fuisse, & partem lõgê maximam à fide & religione aberrâsse. Iam verò in Conci-

Concilijs non pauci vincunt, ſed plurimi, valent enim ſemper & vincunt ij, qui plures ſunt: ergo in omnibus Paſtorum Concilijs non ſemper vincit veritas, quia maxima pars Paſtorum mē-dax & ſcelerata eſſe poteſt. *Secundò* ait Bellarminus, nihil horum dici de Concilio Sacerdotum, ſed in Paſtores & Prophetas, qui ſeparatim populum decipiebant. *Reſpondeo:* Qui ſeparati tales erant, eos congregatos nihilo meliores fuiſſe minimè dubium eſt. Cùm enim impij Sacerdotes in unum congregati fuerint, num ſperandum aut expectandum eſt, ut illos Spiritus ſanctus ſubitò quaſi ἐνθουσιασμῷ quodam corripiat? nequaquam certè. Atqui hæc Prophetæ non de uno aut altero Sacerdote ſeparatim, ſed de ipſo ordine univerſo, totoque adeo Sacerdotum collegio loquuntur. Sic Ierem. 4. 9. *Obſtupeſcent Sacerdotes, & Prophetæ terrebuntur.* Non loquitur de uno Propheta, ſed de toto ordine Prophetarum, quales tum paſſim fuerunt. Similiter Ezech. 7. 26. *Lex peribit à Sacerdote, & conſilium à ſenibus.* Similiter Miche. 3. 6. *Nox vobis pro viſione erit, & tenebræ pro divinatione, & occumbet ſol ſuper Prophetas, & obtenebrabitur ſuper eos dies.* Num hoc fuiſſet falſum vaticinium, ſi in unum locum conveniſſent? minime verò. Imò tum hoc quoque multò magis verum fuiſſet. Atque hæc in ipſum Prophetarum collegium detonuit Deus. An credibile eſt Sacerdotes illos, qui in Ieremiam ſinguli tam acres & acerbi fuerunt, factos eſſe mitiores & æquiores,

cùm

cùm in unum coacti sunt? Nullo modo. Ludibria hæc sunt. Nam impij & sacrilegi Doctores, cùm in unum locum conveniunt, & congregantur, multò deteriores & pertinaciores sunt. Obfirmant enim sese, & iunctis viribus maiorem veritati plagam infligunt. Propheta Oseas cap.6.vers. 10. ipsam societatem & congregationem Sacerdotum latronibus comparat, qui viarum angustias obsident. Et hic fuit status Pastorum in veteri Testamento. Si Concilium ex huiusmodi Pastoribus fuisset congregatum, quid boni ab ijs sperandum esset? Cœlum non animum mutant, qui ad Concilium eunt, ijdem sunt in Concilio, qui domi fuerunt. *Tertiò* respondet Bellarminus, Ecclesiam novi Testamenti maiores & certiores Dei promissiones habere, quàm habuit Synagoga, ac proinde omnia, quæ dicuntur in Scripturis adversùs Prophetas & Sacerdotes veteris Testamenti, non posse ad Sacerdotes novi Testamēti transferri. *Respondeo:* Quòd ait maiores esse factas Ecclesiæ promissiones, quàm Synagogæ, si intelligat Synagogam, id est, Ecclesiam veteris Testamenti magis errare potuisse, quàm potest Ecclesia Testamenti novi, in eo non modò secum, sed & cum aliis Papistis pugnat. Semper enim illud nobis objiciunt, quod habetur Deut. 17. de Concilio Sacerdotum, cuius iudicium infallibile fuisse volunt. Nunc verò Bellarminus quasi timidus minus tribuit Synagogæ, quàm Ecclesiæ. Si verò Synagoga errare non potuit, hoc

hoc factum est propter perpetuam Spiritus sancti assistentiam, & tum sequetur non minores factas esse promissiones Synagogæ, quàm Ecclesiæ. Huc referri solet illud, quod habetur Malach. 2. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius*. Hoc si necessariò verum fuit, tum Synagoga promissiones tam magnas habuit, quàm habet Ecclesia. Sed videamus maiores illas promissiones, quæ Ecclesiæ factæ sunt. Illæ verò sunt huiusmodi, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt adversus eam*. Matth. 16. Et quod habetur 1. Tim. 3. Ecclesiam esse *columnam & firmamentum veritatis*. Quo in loco videte quæso insignem Adversarij stuporem. Sic ille hæc, quæ à Christo & Paulo dicuntur, Ecclesiæ novi Testamenti tribuit, ut neget Synagogæ; quod non modò falsum, sed & impium est. Illa enim veteris Testamenti Ecclesia, cùm & Catholica & vera Christi Ecclesia fuerit, non minùs quàm Ecclesia novi Testamenti, has promissiones habuit. Nonne enim super petram ædificata fuit Ecclesia illa? num portæ inferorum adversùs illam prævaluerunt? Præterea, num Ecclesia veteris Testamenti non fuit columna & firmamentum veritatis? Vbi quæso veritas tùm fuit, nisi in Ecclesia? Ergo nullo modo respondere potest, potuisse veteris Testamenti Ecclesiam errare, novi verò non posse propter promissiones. Nulla enim promissio facta est uni, quæ alteri non convenit, quòd ad

hanc

hanc rem spectat. Ergo nostrum argumentum ex His Scripturæ locis ductum tenet. Iam verò Calvinus secundo loco probat hoc idem posse quoque in Ecclesia novi Testamenti evenire. Atque huc adducit 2. Pet. 2.1. *Quemadmodum fuerunt in populo veteri pseudoprophetæ, sic & inter vos erunt falsi Doctores, sectas perditionis insinuantes,* & 2. Thess. 2. 4. ubi Paulus ostendit non alibi sessurum Antichristum, quàm in templo Dei. Præterea Act. 20. 29. idem Paulus Ephesinos Episcopos in hunc modum alloquitur. *Scio quòd post discessum meum intrabunt in vos lupi rapaces, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis erunt, qui loquantur perversa, vt abducant discipulos post se.* Et Matth. 24. 11. & 24. Christus ait. *Multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos.* Ex his & alijs testimonijs possumus colligere, non esse, quod ad hanc rem attinet, meliorem statum Ecclesiæ novi Testamenti, quàm fuit olim veteris. Hîc Bellarminus ait se mirari, si Calvinus, cùm hæc scriberet, non ad se oculos reflecteret, ac diceret, Quid si ego ipse unus sim de numero horum infœlicium pseudoprophetarum? Sed mirandum magis, Bellarminum ipsum sese non respexisse, & secum cogitâsse, se esse unum ex falsis illis Prophetis. Est enim ille ψευδοδιδάσκαλος, & ψευδοπροφήτης ex nova secta Iesuitarum. Sed quid respõdet? Ait scilicet hæc testimonia de Conciliis Episcoporum non intelligi. *Respondeo:* Fateor quidem Petrum non loqui de Concilio, sed

quando

quando ait futuros esse tales inter nos Doctores falsos, quales fuerunt pseudoprophetæ in veteri populo Iudæorum, monet non minùs nobis ab illis cavendum esse, quàm Iudæis olim sub veteri Testamento à pseudoprophetis cavendum fuit. Innuit enim non maioribus privilegijs ornari pastores novi Testamenti, quàm veteris Testamenti pastores olim ornati sunt. Et loquitur Scriptura in his locis non minùs de Episcopis, quàm de Presbyteris, aut sacerdotibus. Nam Paulus ait in templo Dei sessurum esse Antichristum, in templo verò Episcopi præcipuè dominari volunt. Et Act. 20. idem ait, Ex vobis, scilicet Episcopis, exibunt lupi rapaces. Nullum ergo hominum genus sive congregatum, sive separatum, ab errore liberum est. Hæ enim sunt generales præmonitiones, non esse ullis alligatam veritatem: ergo cavendum esse. Adducit deinde Calvinus Concilium illud quadringentorum pseudoprophetarum, quorum mentio fit 1. Reg. 22. Constat illos turpissimè errâsse, & mentitos fuisse etiam in unum coactos, ut apparet ex vers. *6.* & 22. Authores enim erant pessimi consilij, quod etiam pessimè cecidit. Nam hortati sunt Reges Achabum & Iehosaphatum, ut in bellum proficiscerentur contra Ramoth Gilead, & hoc bellum prosperè illis cessurum esse polliciti sunt. At fefellit eos spiritus erroris. Ergo Pastores etiam in vnum locum congregati errare possunt. Sed *respondet* Bellarminus 1:

hos

hos non fuisse Prophetas Domini. Fateor veros Prophetas non fuisse. Sed hoc tamen non fuit omnibus perspectum, imò nè Iosaphato Regi bono. Sed probat Bellarminus hoc illi fuisse cognitum, quia quæsivit à Rege Achab, an non esset aliquis Propheta Domini, per quem Dominus interrogari posset. Sed si locum inspiciamus, facilè Adversarium redarguemus. Nam ait Iosaphat vers. 7. *An non est hic Propheta Iehovæ ampliùs?*. Ergo hos quidem esse Prophetas Iehovæ existimavit. Nescierat hos mentitos esse, at suspicatus est. Nam si persuasus fuisset illos esse Pseudoprophetas, quare illorum hortatu in bellum cum Achabo profectus est? cur non potiùs statim à proposito destitit? videtur ergo illis assensus esse. 2. *Respondet* Bellarminus, Concilia non Prophetarum sed Sacerdotum esse debere. Sic plus ille tribuit in hac causa Sacerdotibus, quàm Prophetis, quod tamen ab illo minimè fieri oportuit. Quasi verò Prophetæ citiùs falli poterant, quàm sacerdotes. Imò si veri Prophetæ fuissent, certius illorum fuisset, quàm sacerdotum iudicium. Nam Prophetæ extraordinarijs Spiritus sancti donis præditi erant. Nati sunt Sacerdotes, facti verò Prophetę. Sed hac in re coniuncti sunt cum Prophetis Sacerdotes Ierem. 26. 8. 11. ex quo loco constat non Prophetas modò, sed & Sacerdotes errâsse. Sed 3. respondet Bellarminus, Concilium illud ab Achabo Rege, non à summo Pontifice coactum fuisse, ac proinde nihil mirum fuisse,
si

si erravit. *Respondeo:* Quasi tanti intersit, à quo congregati fuerint pseudoprophetæ? homines iidem futuri erant, à quocunque fuissent congregati. Sed si à Pontifice congregati fuissent, non errâssent, quia verò à Rege congregati sunt, errabant. At 1. Reg. 18. Elias magnam Prophetarum multitudinem congregandam curavit, ipse maximus Propheta. Num ideò rectiùs iudicârunt? num ob id minùs errârunt, quia ab Elia sunt congregati, illius scilicet iussu, vel saltem petitione? Quadringentos quinquaginta prophetas Baalis, & prophetas luci quadringentos Elias aut convocavit, aut certè monuit convocandos. Non facilè reperiemus frequentiorem conventum in Concilio aliquo Papistico. Sed tamen hi omnes pessimè errabãt. Nam in idololatria persistebant, & conspirabant. Nihil ergo interest, à quo Pastores congregentur. Quales enim domi fuerint, tales in Concilio erunt, quia cœlum non animum mutant, qui ad Concilium veniunt, quemadmodũ antea à nobis dictum est. Deinde verò adducit Calvinus & similiter Brentius Concilium Iudæorum in novo Testamento præside Caiapha, in quo excommunicati sunt omnes, qui Iesum esse Christum profitebantur, ut Ioan. 9. 22. legimus, in quo etiam Christus blasphemiæ accusatus & mortis reus iudicatus est, ut habetur Ioan. 11. 53. & Marc. 14. 64. An non hoc Concilium fuit legitimum? Erant hi sacerdotes, fuit hoc Concilium à summo Pontifice con-

congregatum, & Pontifex ipse ei præfuit: nihil deniq; defuit, quod ad Concilii legitimi formam pertineret Bellarminus apertè & ingenuè fatetur, hoc Concilium errâsse. Ergo hæc controversia videtur iam ad exitum perducta. Nā aliquod Concilium in fide errâsse fatetur Adversarius. Quid ergo? num prodit ipse causam suam? Nequaquam verò. Sed ait Pontifices & Concilia Iudæorum non potuisse errare, antequam Christus veniret, sed eo præsente potuisse, imò fuisse prædictum erraturos Iudæos, & Christum negaturos, Isai, 6. Daniel, 9. & alibi. Similiter Stapletonus lib. 2. cap. 12. non fuisse Ecclesiam, sed Satanæ Synagogam ait. Similiter Andradius in lib. 1. de defension. Tridentini Concilii, hoc non fuisse legitimum Concilium ait. Similiter Petrus Sotus in libro contra Brentium de Conciliis, quo in libro hac de re multa disputat. *Respondeo*: Quòd negant isti hoc fuisse legitimum Concilium, mirum est. Quare enim legitimum non fuit? quid defuit? Nónne ibi summus Pontifex fuit? nónne reliqui fuerūt legitimi Sacerdotes? Non fuisse, opinor, non dicent. Nam Sacerdotium nondum sublatum fuit, quia Christus nondum est mortuus. Ergo adhuc Aaronicum Sacerdotium stetit. Vnde etiam videamus, quàm vanum illud sit, quod Bellarminus ait, Concilia Iudæorum ante Christum non potuisse errare, sed postea potuisse. Nam Christo præsente aut desiit Aaronicum Sacerdotium esse verum Sacerdotium, aut non.

Si desijt,tum novũ Sacerdotium cõstitutũ fuit. At nullũ adhuc novũ Sacerdotiũ est cõstitutũ, quia nondũ Christus incruentũ illud sacrificiũ in cæna obtulerat,de quo tã multa *P*apistę, atq; ita novi Testamẽti Sacerdotiũ nondum constituerat. Aut hoc ergo legitimũ fuit Sacerdotiũ, aut nullum fuit Sacerdotium à Christo nato ad Christum mortuum:at sine Sacerdotio nulla Ecclesia.Si non desijt,tum Christi pręsentia Sacerdotium non mutavit,nisi forsan in Christum culpam aliquã conjicient. Et si illud Sacerdotiũ desijsset,Christus non templũ, nõ sacrificia frequentâsset.Sed quomodo nunc secum *P*apistę consęntiunt?Nã ex eó quòd Caiaphas prophetavit,*P*apã nõ posse errare concludũt, ne impiũ quidẽ, quia Caiaphas impius vi Spiritus sancti, quẽ summo *P*ontifici nunquã defuturum esse dicũt,prophetavit.Sic Rhemẽses,& omnes *P*apistæ. Et Christi Ecclesiã post ascensionẽ incæpisse dicunt. Sic Stapl. lib.2.de princ.fidei doct. cap.11. Ergo ante illud tempus aut Synagoga Ecclesia fuit,aut nulla fuit Ecclesia. Et Hosius in lib. 2. contra Brentij prolegomena , quando vult respondere Brentio hoc Concilium objicienti , affirmat disertè , sententiam in hoc Concilio pronunciatam fuisse veram, & Spiritum sanctum huic Concilio adfuisse, & Levitico Sacerdotio non defuisse Spiritum sanctum, spiritum veritatis , donec Christus cruentum sacrificium obtulerat. Similiter Canus lib. 5. cap.vlt. in responsione ad secundum argumentum

tum. At Sacerdotes in hoc Concilio congregati Christum blasphemare iudicârunt. Ergo aut blasphemavit ille, aut hoc blasphemum iudiciũ fuit. Similiter deniq; Hardingus in responsione ad Apologiam Anglicanam parte, 6. cap. 6. sect. 3. At hîc Bellarminus contrà. Et sic Stapletonus etiam aliquando. Nam lib. 2. de princip. doctrin. fidei, cap. 12. ait hos Pontifices & Sacerdotes non Dei Ecclesiam, sed Satanæ Synagogam fuisse. Videtis ergo illos vnà cum seculo sententiam mutare. Vidit enim Bellarminus, huius Concilii sententiam nullo modo potuisse defendi. Marci enim 14.64.& Matth. 26.65. definitum fuisse legimus in hoc Concilio, Christum blasphemâsse. Hæc fuit huius Concilii sẽtentia. Hoc vidit Bellarminus, ac proinde coactus est alias latebras quærere. Quod ergo nos volumus ex hoc loco colligere, adhuc integrũ est. Atq; hęc ferè sunt, quæ ex Scripturis in hac causa à nobis proferũtur. Qui plura testimonia desiderat, referendus est ad Quæstionem illam, quæ priùs à nobis tractata est, nẽpe, An Ecclesia possit errare. Omnia enim ferè testimonia, quibus in illa causa vsi sumus, huc referri possunt. Sed hîc Bellarminus pungit Lutherum, verùm sine causa. Ait enim Lutherum videri Concilium Apostolicum, cuius mentio fit Act. 15. reprehendere, quia dicit in assert. artic. 29. in 2. tom. operũ suorũ, Iacobũ mutâsse Petri sẽtẽtiã. Cõstat autẽ (inquit) sentẽtiã Petri, qui iudicaverat non debere Gentes cogi ad legalia,

fuisse bonam & veram, quia eam tuetur Paulus in tota Epistola ad Galatas: ergo sententia Iacobi, quam Synodus tota secuta est, fuit mala & falsa, quæ nimirum iussit Gentes abstinere à sanguine & suffocato, quod nihil aliud est, quàm Iudaizare. Hoc ille ex Lutheri verbis colligit. *Respondeo*: Fateor hæc quidem Lutheri verba esse, Iacobum mutâsse sententiam Petri. Sed non ex eo sequitur, quod vult Bellarminus, Petri sententiam falsam fuisse. Nam addidit aliquid Iacobus, quod Petrus prætermisit. Non ergo eius sententiam vt falsam respuit, sed quod defuit, necessariò explevit. Deinde ait Bellarminus, Lutherũ in libro de Cõcilijs, parte prima, multa dicere de lege illa, quæ ab Apostolis in hoc Cõcilio instituta erat, de abstinẽdo à sanguine & suffocato. *Respõdeo*: Facit id quidẽ, & præclarè, sed quid tum? Etsi (inquit) non audet asserere fuisse malam legem, tamen inde probat Conciliũ nihil prodesse, quia nõ potest defendi ista lex, nisi dicamus Conciliũ non obligare. *Respondeo*: hoc esse impudens mendaciũ. Nihil enim tale Lutherus habet. Sed eò tantùm spectant vniversa, quæ illo in loco disputat Lutherus, vt doceat Concilia Papistica non esse tãti facienda, cùm quod ipsi Apostoli decreverunt, ab ijs non servetur: ergo non hunc esse finem Conciliorum, vt omnia illorum decreta semper rata esse debeant; Papistas sua Concilia vrgere, qui tamen hoc Concilium contemnunt. At sic illum interpretantur Adversarij, quasi affir-

affirmaret, nullum esse vsum, nullum finem, nullam vtilitatem Conciliorum, cùm tamen ipse Concilia sæpe laudet. Fateor Lutherum de illa lege variè loqui, at non vt Concilia tollat aut damnet, sed vt elevet & minuat nimiam illam authoritatem, quam nonnulli Concilijs tribuebant. Sed vt aliquid de illa lege dicam, fuisse illam olim variè intellectam constat. Irenæus lib. 3. cap. 12. quando repetit hoc decretum, prætermittit suffocatum. Similiter Cyprianus in lib. 3. ad Quirinum illud vocabulum prætermittit, & per sanguinem intelligit sanguinis effusionẽ. Similiter etiam Ceda in comment. in illum locum. At verò Bhrysostomus & Oecumenius hoc vocabulum habent, sed per suffocatum τὸν φόνον intelligunt, quasi sensus esset, abstinendum esse à cæde, & sanguinis effusione. At alij aliter. Sed tamen hæc lex fuit inter Christianos servata diu. Nam Tertullianus in Apologetico suo cap. 9. probat Christianos humano sanguini nõ inhiare, cùm pecoris etiam sanguinẽ horreant. Et Patres in Concilio Gangrensi cap. 2. reprehendũt eos, qui damnàrunt vescentes carnibus, χωρὶς αἵματος καὶ εἰδωλοθύτου καὶ πνικτοῦ, *præter sanguinem, & idolis immolatũ, & suffocatũ.* Hæc lex ad tẽpus valuit, vt Gentes cum Iudæis meliùs coalescerent. Augustinus in lib. 32. cõtra Faustum Manichæum cap. 13. docet multos intellexisse illud, quòd à sanguine sit abstinẽdũ, de homicidio, quasi sensus esset, ne quis se homicidio cõtaminaret. Sed meliùs ait, illud fuisse ad tempus,

donec duo parietes, vnus ex circumcisione, alter ex præputio, in lapide angulari concordarent. Ex his manifestum est, hanc legem fuisse diu observatam, non tamen ab omnibus perinde intellectam, iam verò prorsus abrogatã esse.

Scripturæ testimonia à nobis explicata sunt: nunc sequitur, vt ad secundum nostrũ argumentum veniamus, in quo rationes quædam explicandæ sunt Scripturis consentaneę. *Prima* ratio hæc est. Si Concilium firmatum authoritate summi Pontificis ita à Spiritu sancto gubernatur, vt errare non possit in causis fidei iudicandis, tum eius omnes definitiones erunt θεόπνευστοι, & Canonicis Scripturis pares, nam Scriptura est θεόπνευστος. Sic nihil inter decreta Conciliorum, & scripta Prophetarum ac Apostolorum intererit: Consequens verò apertè falsum est: ergo & antecedens. Bellarminus hãc rationem non attingit. Sed Canus lib. 5. cap. 5. ait se presente quendam magnum Theologum concessisse istam consequentiam. Vidit nimirum hic egregius Theologus necessarium esse, si sic à Spiritu sancto Concilia regantur, vt errare nõ possint, nihil inter Apostolos, & Patres in Concilio congregatos interesse. Hoc est quod Gratianus ait Augustini testimonio abvsus distinct. 19. capite, *In Canonicis, Epistolas Paparum Decretales esse Canonicas Scripturas*. Et Innocent. in 3. lib. de celebrat. Missæ, capite, *Cum Marthe*, ait Scripturam sacram asserere, *Iniuriam facere Martyri, qui orat pro Martyre*. Hæc aut Papæ,

aut

aut Concilij alicuius sententia est, nam in Scripturis nusquam legitur. Sed Canus hanc opinionem improbat, & meritò. Nam si Conciliorum decreta omnia sint θεόπνευστα (inquit) cur non redigũtur in codicem sacrorum librorũ, aut cum Canonicis Scripturis annumerãtur? Sed debuit Canus (vt est acutus) considerare, non minùs quid suæ sententiæ consentaneum esset, quàm quid causę ipsius veritas postularet. Quomodo enim hãc opinionẽ improbare potest, cùm defendat Cõcilia ita à Spiritu sancto regi, vt in suis decretis errare nõ possint? Si enim decreta eiusmodi, vt vera, necessariò recipienda sunt, propter Spiritus sancti afflatũ, tum cõclusio hæc negari nõ potest, nihil planè interesse inter definitiones Cõciliorũ, & sacras Scripturas. Hìc Canus sudat miserè. Ait duplex discrimẽ esse inter sacros Scriptores, & summũ Pontificẽ, Patresq; Concilij. *Primũ* discrimen est, quòd sacri Scriptores ex proxima Dei revelatione, & inspiratione, scribũt dogmata Catholica; at Patres in Cõcilio congregati humanâ viâ incedũt, disquirũt, disputant, arguunt, omnia diligenter examinãt, & sic tandẽ Dei auxilio definitiones veras proponũt. Sed *respondeo 1*: hoc nihil interesse, quomodo procedant Patres in Concilio cõgregati, modò id cõstet, non errare in definitionib⁹ suis. Quomodocũq; enim procedãt, & definitiones suas proponãt, necesse est, vt ijs tãquã θεοπνεύστοις assẽtiamur, sive mox, sive post aliquod intervallũ, habita disceptatione aut disquisitione aliqua

proponantur. Sed tamen quòd aït, Apoſtolis in Concilio Hieroſolymitano congregatis non ſtatim revelatum eſſe, quid in illa cauſa decernendum eſſet; non aſſentior. Nam Apoſtoli hoc nôrant, antequam Concilium congregatũ eſt. Paulus per aliquot annos antea prædicaverat, ceremonias eſſe abrogatas: num eum nunc incertum fuiſſe exiſtimabimus? Fuit quidem, fateor, in illo Concilio πολλὴ συζήτησις, ſed inter eos qui ex circumciſione erant, & legalibus ceremoniis nimium erant addicti, quos Petrus reprehendit, quòd Deum tentarent. 2. *Reſpondeo*: Si Patres in Concilio congregati humanâ viâ ad veram definitionem tandem perveniunt, ut ille ait, tum illorum definitiones incertę ſemper ſint neceſſe eſt. Fieri enim poteſt, ut in via aberraverint, & non diligenter diſputaverint, nec res ipſas penitus examinaverint, & diſquiſierint. Quare non poſſumus in quavis Concilii definitione continuò acquieſcere. *Alterum* Cani diſcrimen eſt, quòd ſacris Scriptoribus Spiritus ſanctus in ſingulis etiam minimis adfuit, at non Conciliis niſi in rebus fidei; in facto enim errare poſſe. *Reſpondeo*: hoc nihil eſt, quia omnia interim Conciliorum decreta de rebus fidei erunt Scripturis Canonicis æqualia. Quare noſtrum adhuc argumentum firmum eſt.

Secunda noſtra ratio huiuſmodi eſt. In omni cætu multitudinis interdum poteſt accidere, & ſæpe accidiſſe accepimus, ut maior pars vincat meliorem: ergo in Conciliis Eccleſiæ, vbi definiun-

niuntur omnia per plura suffragia, facilè fieri poterit, ut contingat error. Vinci posse meliorē partem à deteriore notum est, nam mali sæpe plures sunt. Idq; etiam in Conciliis fieri potest. Nam in Concilio Ariminensi, & Ephesino secundo, pauci boni à multis malis victi sunt. Bellarminus respondet lib. 2. cap. 9. in Concilio Ecclesiæ hoc accidere non posse. *Respondeo.* Quid? Nónne sic in Concilio Ariminensi accidisse legimus, & similiter etiam in Ephesino secundo? nónne in his Conciliis plures hæretici, quàm Catholici fuerunt, atq; hoc modo veritas succubuit multitudini? nónne in aliis multis Conciliis similiter accidisse novimus? Sed respondet Bellarminus, acta horū Conciliorum fuisse postea irritata, sic enim ille loquitur. *Resp:* Hoc nihil interest, modò hoc concedat, veritatem aliquando vinci posse in Concilio. Licèt enim postea se veritas colligat, hoc tamen non impedit, quò minùs priùs in Cōcilio à maiori parte oppressa fuerit. Nam quod post Concilium accidit, non pertinet ad Conciliū. Deinde quòd ait hæc Concilia irritata fuisse, ludit. Quomodo enim (quæso) hoc probare potest? A quo irritata sunt? A Papa, inquit. At ille non potuit irritare. Sibi forsan non placere declaravit, at irritare nō potuit. Sed Spiritus sanctus (inquit) in Conciliis præsidet, & Christus est in medio eorum, qui in nomine ipsius congregati sunt. *Resp.* At tū Spiritus sanctus in his Conciliis præsidebat. Nequaquam, inquiet. Quare? Quia non sunt in

Chri-

Christi nomine congregata? At quare non sunt in Christi nomine congregata? Hoc non explicat. At hoc certè explicãdũ erat. Hoc est, quod nos antea diximus, oportere nobis antea cõstare, an in Christi nomine congregatum aliquod Concilium fuerit, quàm nobis constare potest, illud Concilium esse legitimum. Nam si in nomine Christi non congregata sunt hæc Concilia, quia Papæ authoritate non sunt cõgregata: *primò* Ephesinum Concilium fuit authoritate Papæ congregatũ, *secundò*, tum hoc non habet locum in duobus aut tribus, nisi fortè duos aut tres non posse in Christi nomine congregari statuat, nisi id Papa sciat, & probet, quod est ridiculum. Quare Nicolaus Clamengis in disputatione de Conciliis præclarè scribit hac de re. *Non omnes* (inquit) *qui congregantur, in Christi nomine congregantur. Non est putandum, carnales filios Ecclesiæ, qui temporalia quærunt, spiritualia non curant, Concilia agitant, vt ipsi in otio vivant, hos in Christi nomine congregari.* Et ait, *Ecclesiam suo tempore fuisse plenam talibus, & nullos ferè, nisi tales inveniri.* Ergo illorum studia & desideria, qui ad Concilia conveniunt, nobis antea explorata esse debent, num carnales sint, & carnalia quærant, an filii sint Ecclesiæ, & cœlestia quærant. Atq; hoc est, quod Cyprianus ait in libro de vnitate Ecclesiæ, *Quomodo in Christi nomine possunt congregari, qui à Christo & eius Evangelio separantur?* Quare nostrum argumentum adhuc valet. Si plurium suffragia in Conciliis valent, tũ possunt

possunt errare: at primum verũ: ergo & secundum. Nam sapientes paucissimi sunt, stultorum verò infinitus ubiq; est numerus. In paucis Dominus citiùs servat veritatẽ aliquando, quàm in multis. Quadringenti Prophetæ mentiti sunt, veritas in uno Michea est inventa. Quare Canus l. 5. loc. com. c. 5. aliter respondet. Non enim convenit inter illum & Bellarminũ. Negat Bellarminus in Concilio Ecclesiæ partẽ meliorem vinci, Canus concedit. Sic quàm benè inter se conveniant, videtis. Sed quomodo non errabũt Concilia, si maior pars vincat meliorẽ? *Nimirum Papa* (inquit) *non tenetur sequi partem maiorẽ*. Nã hîc Papa succurrat necesse est, alioqui de causa actum erit. *Resp.* Nimirum hoc est, quod nos antea diximus, Episcopos in Concilio congregatos non esse iudices, sed monitores tantùm, solũ omnium controversiarum iudicẽ esse Papam, reliquos verò nullã authoritatem habere. Si enim Episcopi essent iudices, secundùm plures fieret iudicium, & plurium iudicum sententia valeret. At hoc nõ semper fieri affirmat Canus, sed Papã posse suã sententiã plurium sententiis præferre. Nã quantumvis multi (inquit) in contrarium ferantur, tamen Papa non tenetur illos sequi. Ergo solus Papa iudex est. In hoc tamen magnopere dissentit Canus à magistro suo Ioanne de Turre cremata, qui in lib. 3. summæ de Ecclesia cap. 65. affirmat *in controversia quæ dubia est & nondum definita, arguendum esse à maiore parte*. Imò in cap. 64. ausus est dicere, in huiusmodi causa Concilij potiùs quàm Papæ

ſententiam ſequendam eſſe. Sic illi nihil inveniunt, in quo conſiſtant. Non poſſunt enim ſe expedire, quin fateantur neceſſe eſt, Epiſcopos aut κωφὰ πρόσωπα eſſe, aut eorum ſaltem maximam partem, & ſic ſequetur meliorem partem à maiòre vinci aliquando.

Tertia noſtra ratio in hunc modum eſt inſtituta. Legitimum Eccleſiæ Concilium ex Epiſcopis Catholicis conſtat. Iam verò qui ſint Catholici Epiſcopi, nobis ignotum eſt. Poſſunt enim eſſe ſchiſmatici & hæretici, imò fieri poteſt, ut ne Epiſcopi quidem ſint, qui ſe pro Epiſcopis Catholicis venditant: ergo decreta Conciliorum nobis ſemper dubia & incerta erunt. Non poſſumus enim certò credere, omnia Conciliorum decreta vera eſſe, quia poteſt aliquod Cōcilium ex huiuſmodi Epiſcopis conſtare. Bellarminus in reſponſione ad hoc argumentum Papiſticam inſaniam prodit. Ait enim, *Etiamſi ſummus Pontifex, & omnes Epiſcopi, qui ad aliquod generale Concilium à ſummo Pontifice convocantur, eſſent corde hæretici, & ſola externa profeſſione Catholici: tamen Deum nunquam permiſſurum, ut eiuſmodi Concilium in decretis ſuis formandis erraret. Aſſiſtit enim Concilio* (inquit) *Spiritus ſanctus, non tam propter ipſum Concilium, quàm propter Eccleſiam univerſam, quæ divino præcepto tenetur Epiſcoporum ſententiam non diſcutere, ſed venerari. Itaque ne erraret Eccleſia univerſa* (inquit:) *divina providentia faceret, ut etiam Concilium illud Epiſcoporum fictorum, vollet, nollet, veriſſimam*

nam fidem Ecclesiæ sequendam proponeret. Hæc & eiusmodi Papistica nosse est salus Christianorum, ne in fraudem Papisticam incidant. Duo sunt hic falsa & impia à nobis observanda. *Primum* est, Spiritum sanctum non modò Concilio Episcoporum Catholicorum adesse, ut non possint errare, sed & hæreticorum corde. *Secundum* est, Spiritum sanctum efficere, ut illi hæretici, velint, nolint, verissimam fidem proponant. Hæc esse falsa constat dupliciter. *Primò*, quia Spiritus sanctus non modò linguas nolentes trahit, sed corda etiam docet, & in veritatem inducit, & cor ac linguam dividi non sinit. Christus enim talem Spiritus sancti assistentiam promisit, non quæ linguam nolentem trahat, & cor non moveat, sed quæ cor in veritate confirmet. Et quidem animis nostris priùs persuadet Spiritus sanctus, quàm linguas trahit. Ioan. 14.16, 17. Christus discipulos suos alloquens, ait se Patrem rogaturum, eúmque illis alium consolatorem daturum, nempe Spiritum veritatis, qui (inquit) *μένει παρ' ὑμῖν, καὶ ἐν ὑμῖν ἔσται, manet apud vos, & in vobis erit*. Ergo intus in corde & in animo Spiritus sancti sedes est. Et vers. 26. *διδάξει ὑμᾶς πάντα, καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν. Docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia, quæ dixi vobis*. Quid hoc aliud est, quàm mentes docere, non linguas tantùm, ut externa duntaxat professio fiat? Ideo Christiani *θεοδίδακτοι* dicuntur. Hoc idem est cum eo quod habetur Ioan. 16.13. *ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, deducet*

vos

vos in omnem veritatem, vos (ait) non linguas tantùm vestras. Tum enim nos Spiritus sanctus in omnem veritatem deducit, cùm corda nostra instruit. Atque hæc loca afferunt Adversarij, ut Spiritum sanctum semper esse cum Ecclesia doceant, eique nunquam deesse. At hic Spiritus sanctus est magister alius, quàm qualem isti describunt. Non linguas ducit in veritatem, corda verò sinit esse à veritate aversa; non patitur quenquam corde esse hæreticum, & linguâ Catholicum. Ille verò Spiritus, quem Papistæ fingunt Concilijs adesse, linguas tantùm, non corda regit, non sinit linguas pronunciare falsum, sed cor tamen esse hæreticum patitur. Hoccine pium & Catholicum dogma est? Imò ex hoc satis manifestum est; abyssum Papisticæ impietatis exhauriri nunquam posse. *Secundò*, ex eo constat hoc esse falsum, quod ait Adversarius, quòd si qui sint corde hæretici, ij non possunt in Concilio congregati simul sententiam veram proferre, aut Catholicam fidem tueri. Nam si veram sententiam proferant, & fidem Catholicam tueantur, aut gratiâ id faciant necesse est, aut vi, aut metu. Non gratiâ. Quomodo enim gratiâ induci possunt, ut ijs faveant, à quibus corde abhorrent, & animum alienum habent? Non metu; quia summa in ijs est potestas, summam in Ecclesia authoritatem habent. Non vi. Nam quæ vis excogitari potest, quæ illos cogat? non externa, nam nulla externa vis id potest, nec ullam externam vim ipsi metuunt: non interna,

interna, quia voluntas cogi non potest, hoc enim pugnaret cum arbitrij libertate, ut quod intellectus esse falsum iudicat, id voluntas cogatur dicere verum. Spiritus sanctus ait, *ex abundantia cordis os loqui.* Luc. 6. 45. ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας αὐτοῦ προφέρει τὸ ἀγαθὸν, καὶ ὁ πονηρὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ πονηροῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας αὐτοῦ προφέρει τὸ πονηρόν. ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας λαλεῖ τὸ στόμα αὐτοῦ. *Bonus homo ex bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo ex malo thesauro cordis sui profert malũ. Ex abundantia enim cordis loquitur os eius.* Et Matth. 12. 33. ἢ ποιήσατε τὸ δένδρον καλὸν, καὶ τὸν καρπὸν αὐτοῦ καλὸν, ἢ ποιήσατε τὸ δένδρον σαπρὸν, καὶ τὸν καρπὸν αὐτοῦ σαπρόν. ἐκ γὰρ τοῦ καρποῦ τὸ δένδρον γινώσκεται. *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem putrem, & fructum eius putrem, nam è fructu arbor cognoscitur.* Et vers. 34. πῶς δύνασθε ἀγαθὰ λαλεῖν πονηροὶ ὄντες. *Quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali?* Quare tandem Bellarminus ait, hoc *vehementer durum ac violentum esse, ut Concilium totum haereticorum, repugnante voluntate ac sententia, decretum Catholicum conderet.* Vidit tandem Iesuita durum & violentũ esse. Tamen ait *non esse impossibile Deo.* Sed quale hoc est argumentum? Hoc potest fieri, quia nihil est Deo impossibile: ergo fit, aut factũ est aliquando. Num huiusmodi fundamẽtis nostra fides nititur? Imò in ijs quę facit Deus, & se velle facere declarat, non in ijs quae potest, fides nostra fundata est. Sed quomodo probat Bellar-

Bellarminus hoc non esse impossibile? *Quia Deus* (inquit) *aliquando per iumentum corripuit Prophetæ insipientiam.* Præclara similitudo. Deus asini os aperuit: ergo Episcopi repugnante voluntate veram possunt Ecclesiæ fidem sequendam proponere. Num enim asinus loquutus est repugnante voluntate? Quæ voluntas in asino fuit hoc aut illud loquendi? Asininum profectò hoc argumentum est. At impossibile est, quicquid contradictionem implicat, in hoc autem est contradictio, velle & non velle idem simul. Sed quomodo probat Deum etiam hoc velle? Ait Spiritum sanctum assistere Concilio, *non tàm propter Concilium, quàm propter Ecclesiam universam, quæ divino præcepto tenetur Episcoporum sententiam non discutere, sed venerari.* Hæc Iesuitarum Theologia est, hæc sunt ἀξιώματα *P*apistica, non Catholica. *S*ed *respondeo 1*: *S*piritum sanctum non esse alligatum ad cętum hæreticorum Episcoporum. Nam hæretici sunt, qui corde sunt hæretici. Num his quæso *S*piritus sanctus inserviet? 2. *S*i Concilium potest esse legitimum, & Catholicum, quod constat ex Episcopis omnibus corde hæreticis, ore tantùm & lingua, hoc est, externa tantùm professione Catholicis, cur non Ecclesia tota possit etiam similiter esse Catholica extrà, intùs hæretica? At hoc absurdum est. Quemadmodum ergo Ecclesia Catholica non est, quæ constat tota ex hominibus corde hæreticis, linguâ Catholicis: ita nec Concilium. Nam Concilium est Ecclesia

cleſia repræſentativa. 3. Eccleſiam teneri, vt Epiſcoporum ſententias non diſcutiat, ſed veneretur, vbi tandem habetur? Quis Propheta, quis Apoſtolus hoc iubet? Imo cavere iubemur à Pſeudoprophetis, ne in fraudem hæreticorum incidamus. Et 1. Ioan. 4. 1. ſcriptum legimus, *δοκιμάζετε τὰ πνεύματα*, hoc eſt, explorate, examinate, diſcutite ſpiritus: Ergo non oportet nos acquieſcere in alicuius ſententiâ, niſi priùs examinatâ & exploratâ. At illi præſcribunt, quæ volunt, & ea examinare prohibent. Quæ hæc tyrannis eſt? Monſtra hæc opinionum ſunt. Videte, quantum veneni lateat ſub hac vna Papiſtica aſſertione. Et de tertia noſtra ratione hactenus.

Nunc ad *quartam* accedo, quæ in hunc modum ſe habet. Si non poſſunt Epiſcopi in Concilio cõgregati errare circa fidem: hoc fit aut ratione ſapientiæ, aut ſanctitatis, aut poteſtatis, aut promiſſionis à Chriſto factæ. At non ratione ſapientię, quia non ſunt ſemper omnium hominum ſapientiſſimi; nec propter ſanctitatem, quia ſunt aliquando homines impuri, & ſanctitas nõ confirmat in fide; nec propter authoritatẽ, quia Papæ maior eſt authoritas quàm Concilij, vt illi volũt, & tamen Papa poteſt errare, vt habetur apud Gratian. diſt. 40. capite, *Si Papa*; nec deniq; propter Chriſti promiſſionẽ, quia Chriſtus nõ loquitur de Cõcilio, & tamẽ fidẽ ſemper duraturã eſſe ait. Ioannes de Turre cremata lib. 3. c. 60. ait, Concilia non poſſe errare propter Chri-

ſti promiſſionem. Quam quæſo? Propter illam nimirum, quæ habetur Luc. 22. *Oravi pro te Petre, ne fides tua deficeret*, & illam, *Portæ inferorum non prævalebunt adversùs eam. Reſpondeo 1:* Secum ipſe pugnat. Nam concedit ipſe alibi, Papam errare poſſe, quia hæreticus eſſe poteſt. At quomodo fieri poteſt, quin is qui errat, alios in errorem ducat? 2. Quid hoc ad Concilium attinet? Nam ſi Papa non errat, num ergo Concilium non errat? Quid enim ſi reliqui in Concilio nolunt Papæ aſſentiri? Concilium non ſuccedit Petro, ſed Papa. De hoc loco poſtea nobis plura ſunt dicenda. 3. Portæ inferorum contra pium nullum unquam prævalebunt: ergo ſic nullus pius erraret unquam, ſi ij omnes ab errore liberi ſint, contra quos portæ inferorum non prævalebunt.

Quinta noſtra ratio in hunc modum eſt inſtituta. Hiſtorici nulli niſi ſacri certam fidem faciunt: at hoc aut illud Concilium fuiſſe legitimum, non ex ſacris hiſtorijs, ſed tantùm ex Eccleſiaſticis cognoſcimus: quare non poſſumus certò ſtatuere, alicuius Concilij decreta vera eſſe. Vega quidam, qui interfuit Cõcilio Tridentino, magnopere fuit hoc argumento conturbatus. Ait verò tandem lib. 3. cap. 39. Concilium eſſe legitimum, fide Catholica teneri à fidelibus, non quia id hiſtorici teſtantur, ſed quia ipſum Concilium hoc definivit. At hoc abſurdum eſt. Quid enim hoc ad fidem noſtram pertinet, hoc aut illud Concilium legitimum eſſe?

Tum

Tum inter hæc duo nihil intererit, Christum Dei filium esse Patri ὁμοούσιον, & Concilium Nicænum esse legitimum. Sed Bellarminus istam responsionem improbat, & meritò. Nam ait 1, vetera Concilia omnia non sic definivisse, ex fide scilicet tenendum esse, suos conventus esse legitimos. 2. Ait non posse nobis constare, decretum hoc legitimum esse, nisi priùs constiterit, Concilium ipsum legitimum esse. Nam si ambigo (inquit) an fuerit legitimum Cōcilium, antequam definiret se esse legitimum, ambigo etiam, an non erraverit in eo ipso decreto, quo se legitimum esse pronunciavit. Et ego 3, addo, nec hoc ab aliquo Concilio fuisse decretum, aliqua ratione à nobis intelligi posse, nisi ex historiis Ecclesiasticis. Ergo si hoc sit ex fide tenendum, hoc aut illud Concilium esse legitimum, quia ipsum Concilium sic definivit, tum fides nostra ex historiis Ecclesiasticis pendebit; at oportet fidem nostram ex nullis historiis nisi sacris tantùm pendere. Quare Bellarminus aliter respondet ex Cano lib. 6. cap. ult. in responsione ad decimum argumentum, fide Catholica teneri, Concilia legitima non errare, sed hoc aut illud Concilium esse legitimum, fide humana sciri, ut fuisse quondam Ciceronem, Catilinam, Iulium, Cæsarem, Octavium. *Respondeo:* Bellarminus incidit in eosdem laqueos, quos voluit vitare. Nam etsi Concilia legitima non posse errare, sit fidei Catholicæ, tamen nisi hoc aut illud Concilium fuisse legiti-

mum, ex fide etiam Catholica teneatur, eius decreta nulla erunt ex fide Catholica, ſed humanâ tantùm. Nam unde ſcio Concilium aliquod eſſe legitimum, hinc etiam ſcio eius decreta legitima eſſe. De antiquis Concilijs multa legimus, ſed in hiſtoriis Eccleſiaſticis, & in actis Conciliorum, non in Scripturis. At hæ hiſtoriæ non ſunt θεόπνευστοι. Ergo dubium hoc ſemper, & incertum erit, an hoc aut illud decreverint, imò an legitima Concilia fuerint, niſi velimus tantam fidem tribuere ijs hiſtorijs, in quibus harum rerum mentio fit, Socratis nimirum, Sozomeni, Theodoreti, & aliorum, quantum ſacrarum hiſtoriarum ſcriptoribus tribuimus. Hac ergo in re hæc dubia inſunt. *Primum* eſt, an hoc aut illud Concilium fuerit legitimè congregatum. Hoc verò ſcire nullo modo poſſumus, niſi ex hiſtorijs & geſtis Conciliorum. *Secundum* eſt, fuerítne hoc aut illud Concilium authoritate Romani Pontificis confirmatum. Hoc etiam non aliunde quàm ex hiſtoricis cognoſcendum eſt, Socrate nimirum, Sozomeno, Theodoreto, & aliis. Ergo fides noſtra ex illis pendebit. *Tertiò*, illud quoque dubium eſt, num veri & legitimi Epiſcopi fuerint, qui ad Concilium convenerunt. Ab huiuſmodi enim decreta promulgari debent. At hoc etiam non alio modo, niſi ex hiſtoriis conſtabit. *Quartum* dubium eſt, num hi Epiſcopi ſponte an coactè ſententiam dixerint.

rint. *Quintum* & ultimum est, num hoc aut illud definierunt. Ista omnia non nisi ex historiis & actis Conciliorum intelligi possunt. Quid ergo? num hæc ita esse credemus, ut in testimoniis historicorum acquiescamus? num hæreticus statim ero, si his de rebus dubitavero? Nequaquam certè. Quare Conciliorum authoritas incerta est, ac proinde nullum decretum alicuius Concilij (quatenus est Concilij decretum) fide Catholica est tenendum.

Sexta nostra ratio est huiusmodi. Concilia possunt in facto errare: ergo & in fide. Posse in facto errare omnes Papistæ concedunt, Bellarminus, Canus, Stapletonus, & alij. Antonius Delphinus in lib. 2. pag. 166. hoc exemplo utitur. Si Paulus cum Lucretia clandestinas nuptias contraxerit, & postea Mariam palàm duxerit, si res ad Concilium delata fuerit, iudicabit posteriores nuptias valere oportere, & Paulo cum Maria manendum esse, non cum Lucretia. In quo sine dubio (inquit) errabit Concilium, quia vera uxor Pauli est Lucretia; nam in facto errare potest (inquit) non in iure. Sed quare non in iure? Quia regitur à Spiritu sancto. At si non errat Concilium, quia à Spiritu sancto gubernatur, tum nec in facto errat, nam Spiritus sanctus non inducit in errorem facti. Aiunt Spiritum sanctum eos in omnem veritatem deducere: ergo & in verita-

tem facti. Nam Spiritus sanctus tam factum quàm ius tenet. Quare ergo in facto errare potest Concilium, cùm ipsum Spiritus sanctus regat? *Respondet* Delphinus, quia in rebus facti iudicant Patres & Episcopi in Concilio congregati secundùm allegata & probata. *Respondeo:* Hoc est quod ego dico, Patrum iudicia in Concilijs humana esse, non divina. Hoc enim palam arguit, illorum iudicium non nisi humanum esse, & non regi illos à Spiritu sancto, qui etiam occultissima quæque scrutatur. Sed videte quæso, quàm præclarè stolidus hic Papista secum consentiat. *Primò* ait, Concilium errare sine dubio, si iudicat Paulo manendum esse cum Maria, quia hæ nuptiæ non erant legitimæ. *Secundo* ait, cùm iudicat Concilium Paulo manendum esse cum Maria, à Spiritu sancto dirigi. Ergo sequitur, Spiritum sanctum illorum opinione in errorem dirigere, & erroris magistrum, pravique & falsi ducem ac doctorem esse, qui error certè perniciosus est. Sic illorum assertio non modò falsa sed etiam blasphema est. Ergo concludo, Concilia, à quocunque congregata fuerint, non modò in facto, verumetiam in rebus fidei errare posse.

Iam ad *tertium* nostrum argumentum accedo, in quo probabo Concilia de facto errâsse. Proferam enim apertos, multiplices, exploratos Conciliorum errores. Atque hac quidem in re maxima pars huius Quæstionis consistit. Erravit Concilium Ariminense, erravit Seleuciense,

ense, erravit Ephesinum secundum, & alia multa Concilia errârunt. Hæc tria Concilia errâsse ipsi Papistæ concedunt. Ergo Bellarminus ait frustra objici ista Concilia, cúm non legitima fuerint Concilia, sed à summo Pontifice reprobata. Verùm respondeo, hęc Concilia fuisse legitima per omnia, quæ Concilium legitimum faciunt. Nam *primò* cõgregata sunt ab eo, qui authoritatem congregandi habuit. *Deinde* illi adfuerunt, quorum interfuit adesse, veri scilicet & legitimi Episcopi. Non enim quia errârunt hæc Concilia, idcirco negandum est fuisse legitima, quemadmodum nec eum qui mentitur, continuò veracem esse negandum est, nam qui verax est, falsa aliquando loqui potest. Certè quod ad externam formam attinet, vera & legitima Concilia fuerunt. Sed Bellarminus ait, Ariminense & Seleuciense Concilium non fuisse authoritate Romani Pontificis congregata. *Respondeo 1*: Si hæc satis iusta causa sit, cur non fuerint legitima, tum similiter sequetur, nec Cõcilium Nicænum primum fuisse legitimum, nec reliqua tria Concilia generalia, quæ proximè secuta sunt, imo ne octo quidẽ prima Concilia. Nos enim priùs demonstravimus, ista Cõcilia non fuisse Romani Pontificis authoritate congregata. 2. Deinde ad hæc Concilia, Ariminense scilicet, & Seleuciense, magnus numerus piorum & Catholicorum Episcoporum venit, quemadmodum ex historiis constat; qui certè non venissent, si modò existimâssent ad Ro-

manũ Pontificem pertinere. Cõcilia indicere & convocare. Tamen fraude circumventi ſunt, & hæreticæ opinioni aſſenſerunt. Si hoc Romani Pontificis ius eſſe exiſtimâſſent, facilè potuiſſet ille eos deprecari, vt abeſſent, & venire recuſâ-rent. Quare vel ex hoc manifeſtum eſt, non pertinere ad Romanum Pontificem, Concilia congregare. *Deinde* reſpondet Bellarminus, Ariminenſe & Seleucienſe Concilium vnà cum Epheſino ſecundo non fuiſſe à Romano Pontifice approbata, ac proinde non fuiſſe legitima Concilia. *Reſpondeo*: Romanum quidem Pontificem in eo rectè feciſſe, & quod fuit officium ſuum, quòd hæc Concilia non approbavit. Nam vis, & error, & hæreſis in illis Concilijs valuerunt. Non fuiſſet ergo Catholicus Epiſcopus, ſi approbâſſet. Et quod ille hac in re fecit, idem etiam alij Epiſcopi præter illum fecerunt. Sed non ideo nec erant, nec habita ſunt non legitima, quia à Romano Põtifice non ſunt approbata. *Primò* enim, ſi hoc evincit non fuiſse legitima, quia non fuerunt à Romano Pontifice approbata; tum ſequetur quędã decreta Cõcilij Chalcedonenſis & Conſtantinopolitani primi non fuiſse legitima. Nam decreta quædam ſunt in his Concilijs, quæ Pontifex Romanus non probavit, non Damaſus, non Leo, nõ alij, nempe Epiſcopum Conſtantinopolitanum Romano parem & ęqualem eſşe debere, & ęqualia vtriusq; Eccleſiæ, Romanę ſcilicet & Conſtantinopolitanæ privilegia, in poſterum eſse oporte-

re.

re. Imò Leo in Epist. 52. ad Anatolium ait, hoc illicitè voluisse multitudinem, & Patres illius Concilij hoc contra regulas & Canones sanxisse. Et tamen valuerunt hæc decreta etiam invito Romano Pontifice, & hæc etiam Concilia nihilò minùs legitima semper habita sunt. *Secundò*, si hoc fuisset olim in orbe Christiano creditum & receptum, nullum Concilium esse legitimum sine approbatione Romani Pontificis, tum in Concilio Ariminensi & Seleuciensi nihil actum, nihil conclusum, nihil definitum fuisset, nec causa vlla aut triumphandi hæreticis, aut dolendi Catholicis, ex illis Concilijs oblata fuisset. Sed legimus in historijs, his Concilijs magnum Ecclesiæ damnum illatum esse, & magnam cladem fidei Christianæ inflictam fuisse, quod non evenisset, si hoc dogma orbi Christiano cognitum fuisset, Romanum Pontificem habere authoritatem approbandi Cōcilia, adeo vt sine eius approbatione legitima nō essent. *Tertiò*, si in omnibus Cōcilijs Romani Pontificis approbatio necessaria fuisset, tum Patres olim vsi fuissent hac exceptione & responsione, quando rē habuerunt cum hæreticis, & hoc argumento vsi fuissent ad infringendā authoritatē Conciliorum hæreticorum; quod tamen non fecerunt. Quare manifestum est eos nō existimâsse, hoc ad Romanum Pontificem pertinere. Augustinus cum multis hæreticis graviter disputavit, à quibus inter alia argumenta Cōciliorum etiam quorundam authori-

thoritate premebatur, tamen non legimus eum hac responsione aliquando vsum esse. Cùm esset huius Ariminensis Concilij authoritate pressus, non sic respondet & eludit, nempe non fuisse hoc Concilium à Romano Pontifice cōgregatum & approbatum, sed Nicænum Concilium Adversarijs remittit, vt Ariminensis Cōcilij authoritate non premeretur. Sic enim scribit in lib. 3. contra Maximinum. *Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam præiudicaturus proferre Concilium, nec ego huius authoritate, nec tu illius detineris.* Sed cùm sciret Augustinus, non fuisse hoc Concilium à Romano Pontifice approbatum, Nicænum verò fuisse, potuisset optimè secundùm Adversarios Nicænum Concilium vrgere, vtpote à Papa approbatum, Ariminense verò vt ab illo reprobatum contemnere. Sed ille apertè ait, quemadmodum ipse Ariminensis Concilij authoritate non tenebatur, sic nec hæreticos Nicæni Concilij authoritate detineri. Ergo ad Scripturas provocat, quarum authoritati vtriq; parere tenebantur. Ex his quæ dicta sunt, quatuor ista colligimus. *Primum* est, Concilia errare posse etiam maxima & frequentissima, cuiusmodi fuerunt Ariminense & Seleuciense Concilium. *Secundum* est, non fuisse hoc olim in Ecclesia Dei cognitum, Cōcilia nempe authoritate Romani Pontificis approbari debere, quia tum Ariminensi & Seleuciensi Concilio nulla fides adhibita fuisset. *Tertium* est, posse ea, quæ semel

in

in Concilijs definita sunt, iterum in quæstionē, disceptationemq́ue vocari. Quare remittit Augustinus Maximino Ariano Nicænum Concilium, si ipse vellet illi Ariminense remittere. Nō enim sic ait Augustinus, Debes in Concilij authoritate acquiescere, fuit hoc antea in Concilio definitum, non licet nunc denuò in dubium revocare; sed ait, Ego tibi remittam Nicænum Concilium, tu mihi remitte Ariminense, mittamus Concilia, Scripturas proferamus. *Quartum*, quod colligimus, est, impium omnino esse, & fidei Catholicæ iniuriosum, ex Concilijs veritatem suspendere. Tum enim necesse erit, vt de veritate nonnunquam dubitemus, imo vt aliquando errores amplectamur. Nam cùm in Concilijs res pendeat ex suffragijs Episcoporum, si plures impij quàm pij fuerint in aliquo Concilio congregati, veritatem in illo Concilio opprimi necesse est. Quin & hinc etiam sequetur, frequentissima Concilia maximæ authoritatis & fidei esse. Sic Ariminense & Seleuciense Concilium maioris erunt fidei & authoritatis, quàm Nicænum, imo Nicænum nihili præ his erit. Duplo enim plures fuerunt in his Concilijs Episcopi, quàm in Nicæno. Nam ad hæc Concilia omnes Episcopi Orientis & Occidētis convenerunt. In Epistola Ariminensis Concilij ad Constantium sic scriptum legimus. *Ariminum ex cunctis Occidentis civitatibus omnes Episcopi convenimus.* Ergo videtur, etiam Romanum Episcopum eò venisse. Orientales verò E-

piscopi

piſcopi eodem tempore Seleuciæ ſubſtiterūt. Vnum enim idemq; fuit Concilium, licèt duobus locis habitum. Nam voluit Imperator omnes totius orbis Chriſtiani Epiſcopos congregari, qui quoniam in unum locum omnes convenire non potuerunt, Arimini Occidentales Epiſcopi, Seleuciæ verò Orientales congregati ſunt. Si ergo velimus de fide & authoritate alicuius Concilij ex numero & multitudine Epiſcoporum iudicare, tum huic certè Concilio Nicenum cedat & poſtponatur neceſſe eſt, quod abſit. Et Hieronymus in dialogo adverſus Luciferianos innuit, totum mundum ad hoc Concilium conveniſſe. Ergo hoc modo melior erit cauſa erroris & falſitatis, quàm veritatis, ſi ex Conciliis veritatem ſuſpendamus. Concilium Epheſinum ſecundum fuiſſe generale, negari non poteſt. Convocatum fuit ab eodem Theodoſio Imperatore, qui primum Epheſinum Concilium congregavit. Aderant ubiq; omnium Eccleſiarum Epiſcopi, vt conſtat ex Epiſtola Imperatoris ad hoc Cōcilium, quæ habetur in Actione prima Concilii Chalcedonenſis. Aderant Patriarchæ quatuor, Alexandrinus, Antiochenus, Conſtantinopolitanus, Hieroſolymitanus, & Romanus etiam Pōtifex per legatos adfuit. Quid hîc deſiderari poteſt, quod ad Concilium legitimum attinet? Reſpondet Bellarminus, non fuiſſe approbatum authoritate Romani Pontificis. *Reſpondeo*: Non ſequitur non fuiſſe legitimum, quia Pontifex

tifex

tifex Romanus non habuit tum authoritatē approbandi Concilia. Quòd ergo Papa illi non assensus est, hoc non satis est ad evertendā Concilii authoritatem. Si enim Pontifex Romanus abrogare potuisset hoc Concilium, & sua solius authoritate infringere, non opus fuisset, vt Concilium Chalcedonēse postea conveniret ad illud infringendum. At Chalcedonēse Conciliū postea congregatū est, vt hoc Ephesinum secundum Concilium infringeret. Quare nihil habēt Adversarii, quod probabiliter respondere possunt, nisi fuisse hoc Conciliū turbulētū, & hæresin in eo fuisse cōfirmatā. Quod ego certè uerū esse fateor. Hanc enim ob causā appellatur hoc Cōciliū in historiis λῃστρικὸν, quasi prædonū & latronū non Episcoporū Conciliū esset. Sed hoc probat quod nos volumus, posse nēpe Cōcilia generalia turbulenta esse, & errare. Sed interfuit etiam ipse Pontifex Romanus huic Cocilio per legatos: quare ergo illius authoritate non repressus ille tumultus fuit, si illius tāta authoritas erat, quātā Adversarii volūt? Sed nihil ille olim potuit, præut nūc potest. Nō enim fuit olim Papa, & Antichristus, vt nūc est. Iam verò ex historiis cōstat, Arianos regnāte Constantio intra spacium triginta annorū Concilia ad minimum decem habuisse, in quibus omnibus error definitus & confirmatus, veritas verò depressa fuit. Fuerunt illa Concilia non pauca, sed plurima, non minima, sed maxima. Habuerunt illi Concilia Tyri, Hierosolymis, Philippis,
Syr-

Syrmii, Arimini, Seleuciæ, Constantinopoli duo, Antiochiæ etiam, Alexandriæ, & Mediolani, in quibus victa veritas, damnatus Athanasius, explosum ὁμοούσιον fuit. Homines scilicet fuerunt, fecerunt quod hominum est, errauerunt. Si quis dixerit ista Concilia hæretica fuisse, hoc est quod nos dicimus, posse in Conciliis heresin proponi & propugnari. Sed quoniam horum Conciliorum minor est authoritas, quia Ariana fuerunt, urgebimus alia, quæ non fuerunt Ariana, nec ex Episcopis hæreticis constabant. Cyprianus sanctissimus, & religiosissimus Episcopus, summa pietate præditus, qui etiam martyr fuit, habuit vnum, alterū, tertium Concilium, vnà cum aliis multis piis Episcopis, in quibus omnibus definitum fuit, eos qui ab hæreticis baptizantur, esse rebaptizandos. Augustinus in lib. 3. de Baptism. contra Donatist. cap. 10. testis est plura à Cypriano habita esse Concilia, in quibus omnibus hoc definitum est. Pamelius, qui scribit annotationes in Cyprianum, in annotat. in Epist. 73. numero, 6. ait certò posse deprehendi, fuisse tria Concilia ab illo hac de re congregata. Et Eusebius lib. 7. cap. 5. ex Dionysio ait, illud dogma definitum fuisse ἐν ταῖς μεγίσταις τῶν ἐπισκόπων συνόδοις, *in maximis Episcoporum synodis*. Et Cyprianus apud Augustinum lib. 2. de Baptism. contra Donatist. cap. 9. meminit alterius cuiusdam concilij hac de re habiti ab Agrippino prædecessore suo. Quid? num Tridentinū Conciliū

cum

cum his cõparabimus?illáne errare potuerunt, hoc non potuit?quis dixerit? Hinc concludo etiam pios Episcopos in Concilio congregatos errare posse.

Nunc restat, ut illorum Conciliorum errores ostendamus,quæ ipsi etiam Adversarii pro legitimis agnoscunt. Profero igitur *primo* loco Concilium Neocęsariense,quod fuit ipso etiam Nicæno Concilio antiquius. Et quãquam particulare fuit Concilium,tamen á Leone quarto approbatum &confirmatum fuit,ut patet apud Gratianum distinct.20.canon. *De libellis*, & à Synodo etiam Nicæna , ut dicitur in Concilio Florentino sess.7. Iam verò hoc Concilium erravit,cùm canon.7.secundas nuptias damnavit. Prohibet enim Presbyterum interesse convivio secundarum nuptiarum. Verba Concilii hæc sunt. Πρεσβύτερον εἰς γάμους διγαμέντων μὴ ἑστιᾶσθαι, &c. Quibus verbis aut damnavit prorsus secundas nuptias , aut eam maculam iis aspersit,quæ aliquid in illis vitii inesse innuat. At hæ nuptiæ sunt à Spiritu sancto probatę Rom. 7.3.& 1.Cor.7.39. Bellarminus dupliciter respondet,& hoc Concilium excusat. *Primò* ait, Patres huius Concilii non damnare secundas nuptias,sed eas tantùm,in quibus quis viva adhuc uxore aliam ducit,atq; ita duas simul uxores habet. *Secundò* ait,dici posse, non prohiberi secundum matrimonium, sed solennitatem secundi matrimonii, cui solennitati propriè convenit nomèn nuptiarum. Celebritas enim nuptiarum

tiarum (inquit) tantùm semel in Ecclesia fieri consuevit, nimirum quando virgines coniungũtur, vt Isidorus testatur lib. 2. de officiis, cap. 19. Canon igitur ille prohibet (inquit) ne Presbyter celebritati secundi Matrimonii intersit, quin potiùs pænitentiam iniungat iis, qui contra morem Ecclesiæ in secundo matrimonio eiusmodi celebritatem adhibuerint. Sed *respondeo 1:* Concilium nullum verbum facere de eo, qui vivente adhuc priori vxore aliam ducit, atq; ita duas simul vxores habet, sed palàm & simpliciter damnare, vel saltem prohibere *διγαμίαν*. *Δίγαμοι* verò sunt, qui bis nuptias contraxerunt, & tales etiam postea irregulares fecerunt Papistæ. *Per διγάμους* verò eos intelligi, qui secundas nuptias contraxerunt, ex Concilio Niceno patet Canone. 8. vbi Cathari iubentur *κοινωνεῖν τοῖς διγάμοις, communionem habere cum bigamis*. Nolebat Concilium procul dubio eos communionem habere cum illis, qui viuis adhuc uxoribus suis, alias duxerunt. *Per διγαμίαν* etiam secundas nuptias intelligi ex Concilio Laodiceno cap. 1. patet, vbi *διγαμία* tanquã legitima commẽdatur. Concilii verba hæc sunt. *ἐλευθέρους καὶ νομίμως δευτέροις γάμοις συναφθέντας.* Quare manifestum esse constat huius Concilii errorem, quicquid Bellarminus respondeat. Sed quid est quòd conetur quisquam hoc Cõcilium excusare, cùm idem Canone, 1. prohibeat Presbyterũ *γαμεῖν* nullâ omnino Scripturæ authoritate? Præterea cuiusmodi, obsecro, illud

illud est, quod habetur Canon. 11. Presbyterum non esse ordinandum ante annum ætatis suæ trigesimum, quia Christus illo tandem anno baptizatus est,& tum primum cæpit prædicare? At Papistæ ipsi hanc legem abrogârunt. Ordinant enim multos Presbyteros ante annũ trigesimum. Simile est quod habetur in canone vltimo huius Concilij,vbi Patres præcipiunt,vt in quaque civitate tum maxima tum minima septem sint Diaconi. Quare?Quia regulæ scilicet authoritas id postulat, quæ habetur Act. 6. At hæc ineptissima est ratio, & Adversarij ipsi hanc quoque legem abrogârunt. Quare aut erravit Concilium in hac regula, aut Papistæ postea errârunt, qui hanc regulam non servant. Non est ergo quòd huius Concilij authoritatẽ quisquam defendat. Iam verò, *2. respondeo*, quod attinet ad illam solennem nuptiarum celebritatem, nullum omnino verbum hac de re eo in loco fieri, sed de nuptijs tantùm. Ergo hoc planè stolidum commentum est. Fatetur Adversarius, secundas nuptias esse legitimas, sed non esse solenniter & publicè celebrandas, quod planè commentitium, Pontificium, & ineptissimum est.

Iam *secundo* loco profero Concilium Nicænum primum, quod fuit omnium nobilissimũ & celeberrimum, & ab antiquissimis Concilijs approbatum & confirmatum,& maximæ semper in Ecclesia Dei authoritatis. Sed quid?num hoc Concilium erravit?sanè erravit. Duo erro-

res huius Concilij à viris doctissimis animadversi sunt. *Primus* error habetur in Canone 19. de hæreticis rebaptizandis. Sic enim legimus in græcis codicibus. Iubet Concilium τοὺς παυλιανίσαντας ἀναβαπτίζεσθαι, id est, *eos qui secuti sunt Paulum Samosatenum, iterum baptizari.* Hoc nihil aliud est, quàm quod Cyprianus antea decreverat, quodque Anabaptistæ postea docuerunt, & quod in vtrisque damnatur. Ergo error est. Sed iam respondet Bellarminus (& sanè si vera sit eius responsio, liberabit fidē huius Concilij) Paulianos scilicet non baptizâsse in nomine Trinitatis, quia Christum purum esse hominem credebant, & Trinitatem apertè negabāt, ac proinde non verè baptizâsse. Quod si verum sit, tum meritò decrevit Concilium, rebaptizandos fuisse illos, qui ab ipsis sunt baptizati. Sed *respondeo*: hoc ab illo dici sine omni omnino anantiquitatis testimonio. Nihil tale de Paulo legimus apud Eusebium, quod tamen ab illo non fuisset omissum, si sic se res habuisset. Quis enim potuisset formam Baptismi mutare, & non propter id ipsum ab aliquo saltem argui & reprehendi? Eusebius verò narrat, damnatum fuisse Paulum Samosatenum, non quòd mutaret formam Baptismi, sed quòd Arianus esset, & Christi deitatem negaret. Quod ex eo adhuc magis apparet, quòd Augustinus in lib. de hæres. ad Quodvultdeum, affirmat Photinianos eosdem fuisse cum Paulianis. At illi Baptismi formam non mutârunt, nec aliter baptizârunt, quàm

quàm Orthodoxi. Huc etiã accedit, quòd Gratianus causa 1. quæst. 1. capite, *Si quis confugerit*, recitans Canonem illum Nicæni Concilij, cum Paulianis Cataphrygas coniungit, qui Montanistæ fuerunt. Montanistas verò formam Baptismi immutâsse, nullæ historiæ testantur. Ergo cùm iubent Patres huius Concilij Paulianos *ἀναβαπτίζεσθαι, primò*, innuunt eos fuisse antea baptizatos, *secundò*, declarant eandem fuisse illorum sententiam, quæ fuit antea in Concilijs diversis à Cypriano & suis conclusa, & in alijs multis Concilijs definita. Dionysius Episcopus Antiochenus lib. 7. capite. 6. apud Eusebium, ait hoc definitum fuisse *ἐν πολυανθρωποτάταις ἐκκλησίαις, καὶ συνόδοις ἀδελφῶν, in frequentissimis Ecclesiis, & synodis fratrum*. Sic Patres Nicæni Concilij id sanxerunt, quod in alijs multis Concilijs antea sancitum fuerat. *Secundus* huius Concilij error est de militia damnata. Nam canone 12. prohibet hoc Concilium eos *ἀναστρατεύεσθαι*, id est, redire ad militiam, qui cingulum abiecissent. At Ioannes Baptista Luc. 3. non damnat, sed monet tantùm milites, vt sint contenti suis stipendijs, non vt arma abijciant, & castra deserant. *Respondet* Bellarminus, non aliter damnari militiam ab hoc Concilio, quàm quatenus fuit signum idololatriæ. Et videtur quidem hoc probabiliter ab eo dici, quia in superiori canone mẽtio facta est Licinij Imperatoris Ethnici, sub quo multi Christiani milites merebantur, quos impius Imperator vel metu

vel præmio coegit, aut cingulũ abiicere, aut aliquid facere, quod cum ſynceritate fidei & religionis Chriſtianæ pugnaret. Iam verò quidam Chriſtiani, qui cingulum abieciſſent, quia fidem negare nolebant, militiam repetebant, & impiis Ethnicorum Imperatorum mandatis obſequẽtes ſe præbebant. De his ait Bellarminus Concilii decretum illud intelligendum eſſe. *Reſpondeo*: Libenter ego quidem in hac reſponſione acquieſcerem, quia nollem celeberrimum hoc Concilium plus gravare, quàm neceſſe eſt, niſi viderem Patres quoſdam, etiam Epiſcopos Romanos, aliter hanc legem intellexiſſe, & interpretatos eſſe. Sic Leo apud Gratianum diſtinct. 5. de pœnitentia, capite, *Contrarium verò. Contrarium omnino eſt* (inquit Leo) *regulis Eccleſiaſticis, poſt pænitentiæ actionem, redire ad militiam ſecularem.* Iam verò doceat Bellarminus, ſi poteſt, vbi has regulas in alio aliquo Concilio, præterquam in Nicæno inveniamus. Quis non videt hunc canonem Concilii Nicæni his verbis deſignari? Præterea Syricius Papa, qui Leone antiquior fuit, in Epiſt. 4. cap. 3. ſic ſcribit. *Qui poſt remiſſionem peccatorum cingulum militiæ ſecularis habuerit, ad clerum omnino admitti non debet.* Non loquitur is de militia cum idolatria coniuncta, ſed de militia ſimpliciter. At certum eſt, licere homini Chriſtiano, non modò antè, ſed & poſt pęnitentiam, ſi occaſio oblata fuerit, arma tractare, & bellum gerere, atque homines etiam in bello occidere. Videtis ergo

ergo Patres Nicęnos,id quod dixi statuere,hoc est,non modò contra eos loqui, qui unà cum militia idololatriam & fidei abnegationem coniunxerunt,vt Sotus contra Brentium ait,verũetiam omnem in genere militiam damnare. Libenter ego quidem hoc Cōncilium defenderem , sed veritas potiùs defendenda est. Ergo si Concilium Nicænum potuit errare,& alia Cōcilia multò magis errare possunt.

Tertiò loco profero Concilium Chalcedonense. Non enim apud me proposui omnia Concilia proferre, sed ea tantùm , quæ exploratos habent errores. Hoc vero Concilium, si modò Romano Pontifici credamus , erravit, quando Episcopum Constantinopolitanum Romano Pontifici exæquavit, qua de re nonnulla antea diximus.Decrevit enim hoc Concilium,Episcopum Constantinopolitanum Romano Pontifici parem esse,& iisdem illum,quibus hunc, privilegiis decoravit. Sed & alius error est Concilii huius,quem etiam Pōtifex Romanus approbavit, de quo Bellarminus nullũ verbum facit.Si enim credamus Concilio Constantinopolitano secundo (quod fuit generale , & appellatur quintum Oecumenicum Concilium) damnavit tria capita Concilij Chalcedonensis,de Theodoro, Theodoreto,& Iba,acti.4. Et multæ quidẽ turbæ propter hoc Cōcilium fuerunt agitatæ. Qua de re Sigonius lib. 20. de imperio Occidentali multa verba facit.Ergo Concilium Chalcedonense erravit.

Præterea constat Gelasium Papam in scripto satis antiquo & prolixo nonnulla acta huius Concilij improbare & reprehendere.

Quarto loco profero Conciliũ Carthaginēse tertium, quod etsi particulare fuit, tamen quia confirmatum est authoritate Romani Pontificis,& aliorum Conciliorum, obtinet vim Concilij generalis. Approbatum verò & confirmatũ fuit hoc Cōcilium à Leone quarto, vt est apud Gratianum distinct. 20.capite *De libellis*,atq; etiam à sexta synodo generali. Huius Cōcilij duo errores sunt. Vnus verus error est,alter opinione tantùm Adversariorum. *Primus* error habetur cap. 23. Vbi iubet Concilium,vt in oblatione Eucharistiæ preces semper ad Deum Patrē dirigantur. Si excludant filium & Spiritum sanctum; magnus error est,si non excludant,quorsum ad illum solum preces dirigendas esse volunt? Et Papistæ ipsi in Eucharistiæ celebratione preces ad filium dirigunt. Tritum enim illud est,quod in illorũ Missa habetur, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi,suscipe deprecationem nostrã.* *Deinde* idem Concilium Canon. 26. præcipit, ne primæ sedis Episcopus vocetur princeps Sacerdotũ,aut summus Sacerdos, aut aliquid eiusmodi. At Pontifex Romanus iamdudũ his & huiusmodi nominibus appellari se voluit. Gratianus verò hoc in loco suā impudentiā & perfidiam prodit,cùm addit ad hũc Canonem, *Excepto Pontifice Romano.* At hæc exceptio nó extat in Concilio.

Quin-

Quinto loco profero Concilium Constantinopolitanum tertium, quod fuit sextum generale Concilium. Huius Concilii Canones quosdam antea attigimus, qui multos in se errores habent. Respondet Bellàrminus, hos Canones non esse ab ullo legitimo & probato Concilio editos. Agnoscunt Adversarii fuisse hoc generale Concilium, sed Canones huius Concilii nullo modo probant. *Respondeo*: At non potest Bellarminus hos Canones improbare, si modò ulla sit authoritas Romani Pontificis. Nam prę terquam quòd multi Papæ hos Canones citant, Adrianus primus in Epistola ad Tharasium, quæ habetur in actione, 2. septimæ synodi, apertè confirmat. Respondet Bellarminus, Adrianum recitare tantùm sententiam Tharasij, & non refellere, quia unus ex istis Canonibus utilis erat ad quæstionem, de qua agebatur. Sed ego vos moneo, ut legatis ipsa verba Adriani, quæ sunt huiusmodi. *In sextæ synodi diviniè & legaliter prædicatis Canonibus.* Ex his verbis duo colligo. *Primum* est, sextam synodum edidisse Canones, quod negant Adversarii. *Secundum* est, hos Canones pro legitimis habitos esse. Nā ait Adrianus. *In sextæ synodi diviniè & legaliter prædicatis Canonibus.* Quid hoc aliud est, quàm confirmare Canones huius Concilii? Sed de hoc Concilio plura non addam. Progredior ad reliqua.

Sexto igitur loco affero egregium illud Cōcilium Nicęnum secundum, de quo Bellarminns

minus tam multa disputavit, vt nullum ego dicendi finem facerem, si illius prolixitatem imitarer, & singula quæ ab illo dicta sunt, sigillatim persequerer. Sed ego breviter & perspicuè loquar de hoc Concilio. Illud ergo secundum Nicænum Conciliũ, quod fuit primo dissimillimũ, gravissimè & turpissimè erravit. Nã prętterquam quòd imagines esse colendas statuit, in eo etiã errâsse constat, quòd Angelos corpora habere, & animas itẽ humanas corporeas esse definivit. In actione 5. huius Concilij Ioannes Episcopus Thessalonicensis vtrumq; affirmavit, & Tharasius vnà cum tota synodo approbavit, quasi communem Ecclesię Catholicę sententiã, ne quis putet fuisse sentẽtiam vnius tantùm aut alterius Episcopi. Ait enim tota synodus, *Etiam Domine, sic est.* Et ob eandem causam concluserunt, pingi posse Angelos, vtpote corporeos, & animas item humanas. Sed nec Angelus, nec anima, habet naturã corpoream, ideoq; nec Angelus, nec anima, pingi potest. Luc. 24. legimus spiritus carnem & ossa non habere. Et Coloss. 1. appellantur invisibiles. Deinde propter imagines defensas fuisse hoc Concilium à multis alijs Concilijs damnatum vt hæreticum legimus. Fuerat antea Concilium Constantinopoli congregatum sub Leone Imperatore (quem εἰκονόμαχον dixerunt) & Cõstantino Copronymo, in quo imagines dãnatæ sunt. Et hoc fuit septimũ generale Concilium, verum & legitimũ, cui interfuerunt Episcopi, 338, vt constat ex synodo Nicæna

Nicęna secunda, actione 6. Sigebertus in Chronico suo ait interfuisse Episcopos, 330. Sed Bellarminus ait non fuisse hoc generale Cōcilium, quia Pontifex Romanus non interfuit, nec per se, nec per legatos suos. *Respondeo*: verum quidē est, nō interfuisse. Sed causa vna fuit, quòd tum cæpit esse perfidus & rebellis in Imperatorem Græcum, & conatus est illius imperium cōvellere. Alia verò causa fuit, quia novit in illo Cōcilio imagines esse damnandas, quod illi parùm placuit. Si qui certè aberāt, suo quidē vitio aberant, nam omnes adesse iussi sunt, & hoc sufficit. Neq; propterea non generale fuit hoc Conciliū, quia Pontifex Romanus illi non interfuit. Tum enim Constantinopolitanū primū, quod fuit generale secundum, non erat generale, quia nec Pontifex Romanus, nec quisquam eius nomine illi Concilio interfuit. Hoc fuit igitur septimum generale Concilium. Sed in actis hoc tacetur, & Nicænum secundum dicitur esse septimum. Fuit hoc Concilium postea congregatum ab Irene Imperatrice, fœminâ pessimâ, crudelissimâ, superstitiosissimâ, quæ filium suum primò in carcerem coniecerat, postea verò oculos illi effoderat. Sic Imperatores pij imagines damnârunt & confregerunt, fœmina verò impia patrocinio suo propugnavit. Cùm enim disputatum esset in Concilio Constātinopolitano anno superiore, & multi pij Episcopi imagines damnârent, Irene illos omnes e suis Ecclesijs deturbavit. Illis verò deturbatis

reli-

reliquos Nicçæ denuò congregavit, à quibus imagines sunt confirmatæ, & εικονολατρεία, id est, ειδωλολατρεία stabilita est. Hinc infinita mala postea secuta sunt. Sed hoc Concilium à multis aliis Conciliis non improbatum modò, sed & damnatum fuit. Francoforti Concilium congregatum est annis quinque post Nicenum secundum Concilium, cui etiam interfuerunt legati Romani Pontificis, & ipse Carolus Magnus, in quo septimum generale Concilium, id est, Constantinopolitanum secundum, fuit confirmatum, quod imagines damnavit, & Nicenū damnatum, quod imagines confirmavit. Hoc enim Nicenum secundum Concilium non fuit septimum generale Concilium (vt Papistę volunt) sed Constantinopolitanum secundum, in quo imagines sunt damnatæ. Nicenum verò secundum fuit octavum generale Concilium, quemadmodum luculentissimi authores testantur, quos si nunc recenserem, nimis longus essem. Vnde possumus intelligere, quàm impudens fuerit Alanus Copus (vel potiùs Harpsfieldus) qui in in Dialogo 4. & 5. ait damnatum esse à Francofordiensi Concilio Constantinopolitanum secundum, non Nicænum secundum, quod perinde est, ac si diceret, & nobis persuadere conaretur, meridie tenebras esse. Iam verò de hac Copi sententia Bellarminus, ut sciatis quàm bellus homo sit, sic ait. *Optarem esse veram, sed tamen suspicor esse falsam.* Suspicaris? imò disertè affirmas esse

esse falsam. Nam ais omnes authores antiquos in hoc consentire, septimam synodum esse in Francofordiensi Cōcilio reprobatam,& ne dubitemus, quam septimam Synodum intelligas, addis ex iisdem authoribus, quæ decreverat imagines esse adorandas. Illa verò non Constantinopolitana, sed Nicæna Synodus fuit. Præterea constat,sub Carolo Magno quinque alia Concilia habita fuisse, in quibus omnibus damnatum fuit Nicænum secundum. Hîc ergo coguntur Adversarij confugere ad suam illam miseram responsionem,Concilium scilicet Frācofordiense fuisse partim approbatum, partim non approbatum.Siccinè rem nobiscum partiuntur? Hoccine æquum est, ut illi respuāt quod ipsis non placet,recipiant quod placet? Fuit hic Carolus Magnus maximus hostis imaginum, contra quas edidit quatuor libros, quorum authoritatem Bellarminus quibus potest rationibus infringere conatur, quos tamen fatetur sine dubio scriptos esse tempore Caroli. Et de Nicæno secundo Concilio satis multa diximus. Iam progredior,& opus institutum pertexo.

Septimo igitur loco profero Concilium Romanum sub Stephano septimo, vel, ut alij volunt, sexto, in quo Formosus Pontifex damnatus est,& illius acta omnia abrogata. At aliud Concilium postea habitum est Ravennæ sub Ioanne nono, in quo Formosus restitutus fuit, & Stephanus damnatus, omniaq; acta Concilij illius,quod sub Stephano habitum fuit,sunt abrogata.

rogata. Horum alterum errâsse necesse est. Nã si Stephanus rectè Formosi acta abrogavit, malè certè fecit Ioannes nonus, qui Stephani acta omnia abrogavit. Hæc nota sunt. Leguntur enim in historiis & actis Conciliorum, & his Concilijs non alij præfuerunt, quàm Pontifices Romani. Respondet Bellarminus, quæstionem fuisse de facto, an Formosus fuisset verus & legitimus Papa. Stephanus non putavit esse. Ioannes nonus postea invênit contrarium, & acta Stephani damnavit. *Respondeo 1:* Spiritum sanctum non magis de facto quàm de iure errare. Deus enim est, & omnia novit. Nec deesse solet Ecclesiæ in ijs rebus, quæ ad eius salutem spectant, ut ipsi Adversarij fatentur. Nam ideo dicunt Spiritum sanctum Ecclesiæ datum esse, & Conciliis præesse, ut Ecclesiam nimirum in omnem veritatem deducat. At damnari eum, qui non est damnandus, non modò à veritate alienum est, sed etiã Ecclesiæ periculosum, præsertim si in Pontifice id fiat. Nam Formosus fuerat Papa, multas ordinationes fecerat, multos creaverat Episcopos & Presbyteros; nunc eius omnia acta infringi, omnesq; Episcopos & presbyteros ab illo creatos munere & ministerio suo abdicari, quàm periculosum Ecclesiæ fuit? *2.* Quòd ait Stephanum male informatum censuisse eum non fuisse Papam, hoc non satis est. Nam definitiones Conciliorum non opiniones sunt sed certa iudicia. Aut igitur compertum hoc habuit, aut non potuit sic iudicare. Iudicavit

vit enim Stephanus, tãquam re explorata, Formosum non fuisse Pontificem, & eius acta omnia irritavit, ut Bellarmini verbo utar. Quare sic ego disputo contra Adversarium. Aut meritus est Formosus damnationem, aut non. Si non est meritus, tum hoc non fuit Spiritus sancti iudicium. Si meritus est, cur postea abrogatum est hoc iudicium à Ioanne nono? cur denuò restitutus Formosus? *3. Resp.* Facilè constare ex historijs & actis Conciliorum, non modò Spiritum sanctum non adfuisse istis Conciliis, sed ipsos etiam Pontificulos à Spiritu Satanæ præcipites esse actos. Nam primò Formosus habito Romæ Concilio à Stephano damnatus est, deinde Stephanus à Ioanne 9. (quem Platina facit Ioannem decimum) coacto alio Concilio Ravennæ est damnatus, & Formosus est restitutus, quod idem factum est antea à Romano, qui Stephano successit, & à Theodoro, cui hic Ioannes successit. Iam ergo Formosus videtur restitutus, & Stephanus dãnatus. At hunc Formosum Stephanus antea in Concilio Romano damnaverat, & corpus eius è sepulchro extractum habitu Pontificali spoliaverat, idemq; seculari sepulturæ mandaverat, duos eius digitos absciderat, quibus in consecratione usus fuerat, eosdemque in Tiberim projecerat, & omnia denique illius acta abrogaverat. Crudele & barbarum. Sed hoc tamen est in Concilio factum. Num existimabimus huic Concilio præfuisse Spiritum sanctum? num Spiritum sanctum tantæ crudelitatis authorem fuisse cen-

ſebimus? Sic omnino dicant Adverſarij neceſſe eſt, quia fuit hoc legitimum Concilium. Sed ait Bellarminus, Ioannem poſtea inveniſſe, re meliùs inveſtigata, Formoſum fuiſſe legitimum Papam. *Reſpondeo 1:* Quomodo hoc invenire potuit? Nam ſi Formoſus legitimus Papa fuiſſet, tum Spiritus ſanctus in Concilio ſub Stephano hoc inveniſſet. Num enim potuit hoc Spiritus ſanctus invenire in Concilio ſub Ioanne, non potuit in Concilio ſub Stephano? Incredibile. Verùm Stephanus non modò non invênit, ſed planè contrarium iudicavit. Súntne quæſo iudicia Spiritus ſancti contraria? Formoſum enim eſſe Epiſcopum legitimum, & non eſſe, ſunt contraria. Alterum decrevit Ioannes nonus in Conciliò Ravennæ habito, alterum verò Stephanus in Concilio Romano. *2. Reſpondeo:* Concedamus Ioannem nonum in illo ſuo Concilio, re meliùs inveſtigata (ut inquit Bellarminus) invêniſſe, Formoſum eſſe legitimum Epiſcopum, ac proinde reſtituendum eſſe, eiuſque acta omnia confirmanda: tum hoc ſaltem fuit Spiritus ſancti decretum. At ſi hoc decretum Spiritus ſancti fuit, quare obſecro abrogatum eſt brevi poſtea à Sergio tertio, qui non modò Formoſum iterum damnavit, eiuſq; acta omnia abrogavit, verumetiam crudelitate belluæ ſimilior quàm homini, Formoſi corpus rurſum è ſepulchro extraxit, caput amputavit, corpus denique in Tiberim projecit, quod ibi à piſcatoribus inventum, & poſtea in baſilica

ſancti

sancti Petri Romæ sepultum, ab imaginibus adoratum fuisse dicitur. Vnde coniectum est, Formosum iniustè tractatum fuisse. Bellarminus ista leviter transit, & timidè attingit. Hîc ergo habemus duo contraria iudicia Conciliorum, quorum alterum falsum sit necesse est.

Octavo loco profero Concilium Romanum sub Nicolao secundo, in quo definitum fuit, non modò Sacramentum corporis Christi, sed ipsum etiam verum Christi corpus tractari & frangi manibus Sacerdotum, & fidelium dentibus atteri. At hoc est falsissimum. Nam etsi tractari posset Christi corpus, cùm tamen gloriosum sit, nec manibus frangi, nec dentibus teri potest. Illud enim corpus moriatur & corrumpatur necesse est, quod frangitur & teritur, at Christi corpus nunc nec mori potest, nec corrumpi. Hoc habetur in illo Concilio. Et hac de re scribit Gratianus de consecratione, distinct. 2. capite, *Ego Berengarius*. Coactus est bonus ille vir Berengarius παλινῳδεῖν eo modo, quo diximus, & in eam sententiam, quam commemoravimus. Huius verò palinodiæ verba fuerunt ab Huberto quodam Germano descripta, homine inerudito, & insulso. Vix intelligi potest, quid sibi velint. Sensus verò hic fuit, verum Christi corpus tractari, frangi, & dentibus atteri. De quibus verbis ipsa Glossa ait, nisi cautè & sobriè exponantur, habere plus in se erroris, quàm habuit ipsa Berengarij sententia. Sed quomodo Bellarminus hæc verba interpretatur

tur videamus. Berengarius ait in recantatione sua, verum Christi corpus frangi & teri, hoc est (inquit Bellarminus) non nudum signum, sed signum habens realiter coniunctum Christi corpus, vel verum Christi corpus ibi præsens existens frangi & teri, non tamen in se, sed in signo. Sic Bellarminus cautè verba palinodiæ interpretatur. Sed *respondeo 1:* Concilium dicere, verum Christi corpus tractari, frangi, & teri, non signum, cum quo coniunctum est verum Christi corpus. Aliud est Christi corpus, aliud signum cum quo Christi corpus coniungitur. Pugnat ergo Bellarminus cum ipsius Concilij verbis. Si Concilium sic dixisset, quemadmodum ille loquitur, aperta fuisset illius sententia. Sed Concilium ait, panem & vinum post consecrationem esse verum corpus & sanguinem Christi, & hoc corpus frangi manibus, & teri dentibus. Ergo iam signa hæc non modò habent corpus Christi coniunctum, sed sunt ipsum verum Christi corpus. Quòd si signa frangantur, & signa sunt ipsum corpus & sanguis Christi, tum sequitur nullo modo vitari posse, quin ipsum corpus frangatur. Sed verba sunt adhuc magis perspicua. Nam dicitur in Concilij decreto, corpus & sanguinem Domini non modò in Sacramento, sed sensualiter in veritate, manibus tractari, frangi, & atteri. Si corpus Christi in veritate & sensualiter tractatur, frangitur, atteritur, tum non est hoc idem, quod signum cum corpore Christi coniunctũ

tra-

tractari, frangi, & atteri. Nam decretum ait, non solum in Sacramento, id est, non solum in signo, hæc omnia fieri. Sic videmus absurdam esse Bellarmini expositionem. 2. Intelligemus istam Bellarmini interpretationem à Papistis etiam ipsis reprehendi. Nam Claudius Santesius in repetitione 9. capite 6. Berengarij sententiam sic proponit. *Ille asserebat* (inquit) *in Sacramento videri, tangi, & percipi corpus Christi, non in proprio supposito. Sed Ecclesia* (inquit) *contrà decidit, non modò in Sacramento, sed in veritate & sensualiter corpus ipsum & sanguinem Christi videri, tangi, dentibus atteri*. Deinde Canus lib. 5. capite vltimo, in responsione ad vltimum argumentum, concedit ipsam Christi carnem videri & tangi, & Christi corpus sic in panis locum successisse, vt sibi omnia, quæ erant panis, vendicet. Sed quare non ait frangi etiam & teri Christi corpus? Id quidem voluit, sed non ausus est apertè loqui. Nam, vt manibus tractatur, sic certè frangitur & teritur. Sed non apertè affirmat Canus, Christi corpus teri & frangi. Tantùm ait, post consecrationem omnia corpori Christi convenire, quæ pani antea conveniebant; corpus enim Christi tũ videri, tractari, & gestari. Sed non ausus est vlteriùs progredi, & reliqua similiter adiungere, nempe teri & frangi. Non enim ausus est palàm proloqui, ne exploderetur. Iam verò Alanus noster egregius ille Cardinalis in lib. 1. de Eu-

chariſtiæ Sacramento cap. 37. apertiſſimè loquitur, & non dubitat affirmare, ipſiſſimum *corpus & ſanguinem Christi verè à nobis contrectari, manducari, circumgeſtari, carni noſtræ immiſceri*, nunquid adhuc aliquid deſideratis? imò *frangi etiam, dentibus teri, in hoc aut illo vaſe collocari, & ſenſibiliter ſacrificari, non minùs quàm ante conſecrationem panis tractabatur*. Et hanc Bellarmini expoſitionem de fractione in ſigno reprehendit, aitque *hanc fracturam in ipſo corpore conſtitui*. Bellarminus verò ait, *certum eſſe & ſemper fuiſſe, corpus Chriſti non poſſe frangi aut teri niſi in ſigno, ſiue Sacramento, ita vt dicatur frangi ac teri, cùm ſignum eius, id eſt, ſpecies panis frangitur & teritur*. Non audet ergo Bellarminus Concilium eo modo interpretari, quo alij Papiſtæ interpretantur. Puduit ſcilicet illum vtpote hominem modeſtiorem in hũc modum ſcribere. At Claudium Santeſium, Canum, Alanũ, non puduit. Quanquam in eo falſus eſt Canus, cùm negat Chriſti corpus mentibus atteri, niſi vitium ſit Typographi, & pro *dentibus*, ponatur, *mentibus*. Apertè tamen ait, ipſum verum Chriſti corpus manibus tractari. Roffenſis in lib. 2. contra Oecolampadium, cap. 12. non audet hoc decretum defendere. Nam ille ait, *quia Berengarius in alterum latus nimium exorbitâſſet, ideo Concilium plus æquo in alterum nunc trahi*, hoc eſt, inclinare. Hoc perinde eſt, ac ſi diceret, Concilium errâſſe. Similiter Caietanus in tractatu de Eucharistia cap. 3. negat hanc fuiſſe men-

mentem horum Patrum, Christi corpus sumi corporaliter & perceptibiliter, cùm tamen disertè dicant sensualiter tractari. Imò ne Lombardus quidem ipse audet hoc decretum defendere lib. 3. distinct. 12. At alij Papistæ summa cum impudentia defendunt. In hoc igitur decreto, quemadmodum in isto Concilio propositum fuit, maximus error est, & insigne peccatum, à quo animus pij cuiusque hominis debet abhorrere. Hoc enim dicere, est veritatem corporis Christi planè destruere. Et de hoc Concilio ista dixisse sufficiat.

Nono loco profero aliud Concilium generale, nempe Lateranense sub Alexandro tertio, in parte 5. cap. 1. vbi legimus, post consensum legitimum vtriusque partis de præsenti matrimonio, licere alteri etiam repugnante altero Monasterium ingredi. Sed forsan non putabunt Adversarij hunc aliquem errorem esse. Est tamen error Antichristianus, apertè cùm Scriptura pugnans, nuptias legitimas dirimere. Nam qui semel legitimo consensu sese invicem obstrinxerunt, eos Deus coniunxit, adeo vt neuter in posterum altero superstite sui iuris sit. Non licet ergo alterutri, præsertim altero non consentiente, promissum revocare.

Decimo loco profero aliud Concilium Lateranense sub Innocentio tertio, vbi definitum fuisse legimus cap. 1. vtramq; creaturam & visibilem & invisibilem ab initio temporis ex nihilo

creatam fuiſſe.Si hoc Catholicum ſit fidei dogma, tum Patres illi errârunt, imò hæretici ſunt, qui Angelos ante mundum & ante temporis initium conditos fuiſſe dixerunt. Ergo Nazianzenus erravit in oratione ſive concione, 1. de natali Domini. Similiter Baſilius in homilia 1. in hexaemeron. Similiter Ambroſius in hexaem.lib.1. cap.5. Similiter etiam Hieronymus in epiſt.ad Tit.cap.1. Similiter Damaſcenus in lib.2.cap.3. Similiter denique Thomas Aquinas in prima parte ſummæ, quæſt. 61. artic. 3. ubi ait hāc opinionem non eſſe fidei contrariā. At ſi illa Concilij definitio Catholica fuit, tum aliter ſentire,eſt fidei contrarium. Sed de iſta opinione nos magnopere non laborabimus. Ex hoc eodem Concilio alium adhuc errorem profero, qui habetur in cap. 13. In illo capite prohibet Innocentius, ne poſtea nova aliqua religio, hoc eſt,novus aliquis ordo religioſorum inſtitueretur, ſed ſi quis vellet ad religionem converti (hoc eſt, religioſum ordinem ingredi) aliquam ex veteribus & approbatis eligeret & ſuſciperet. Quæ cauſa fuerat huius decreti, neſcio. Sed forſan tanta tunc temporis religioſorum ordinum multitudo fuit, vt modus neceſſariò ſtatuendus eſſet. Si iuſta ratio huius legis condendæ fuit, tum Ieſuitæ antea damnati ſunt, quàm in lucem editi. Hæc enim nova religio eſt, novus ordo,nova ſecta, poſt Innocentij tempora, ante annos ſeptuaginta aut circiter ab Ignatio

quo-

quodam Layola instituta. Et de hoc Concilio plura non dicemus.

Vndecimo loco profero Concilium Constantiense sess. 13. ubi sic decretum fuisse legimus. *Licèt in primitiva Ecclesia Sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie, tamen postea à conficientibus sub utraque specie, à laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur.* Prohibet ergo Concilium, populum sub utraque specie communicare, & anathema ijs denunciat, qui hoc audent facere. Decretum erroris & blasphemiæ plenum. *Primò* enim fatentur Patres illius Concilij, Christum instituisse, ut sub utraque specie populus communicaret, & hanc Christi institutionem à primitiva Ecclesia observatam fuisse: tamen præcipiunt, ut nullus presbyter sub pœna excõmunicationis populo deinceps sub utraque specie administraret. Sic prohibent, quod Christus præcepit, & damnant, quod ille instituit. *Deinde* laudant consuetudinem perversam Ecclesiæ tum receptam, & eam tum Christi institutioni, tum primitivæ Ecclesiæ consuetudini præferunt, & anathema denunciant aliter sentientibus, & hanc denique consuetudinem pravam pro lege in posterum habendam esse statuunt. *Tertiò* dicunt Christum sub alterutra specie integrum percipi. Quod si verum sit, cur quæso Christus duas species instituit, & cur Ecclesia olim primitiva sub duabus speciebus communicavit? Item in sessione 19. eiusdem Concilij alius error re-

peritur, fidem scilicet non esse cum hæretici servandam. Sed forsan hæc non fuit Concilii sententia, nam negant Adversarii. A nullo enim homine probari potest hæc sententia, nisi qui humanitatem omnem exuerit. Molanus quidam Papista tres libros edidit hac de re. Ergo forsan iniuriam facimus Concilio, cùm illi hoc decretum affingimus. Legite ergo ipsũ decretum, cuius hic sensus est, non obstãte Imperatoris salvo conductu, licere iudici competenti & Ecclesiastico de hæreticorum erroribus inquirere, *& aliàs contra eos debitè procedere, eosdemq; punire, quantum iustitia suadebit, si suos errores revocare pertinaciter recusaverint, etiamsi de salvo conductu confisi, ad locum venerint iudicii, aliàs non venturi.* Factum est hoc decretum propter Ioãnem Hus ab illo Concilio damnatum, & extremo supplicio affectum, contra publicã fidem Sigismundi Imperatoris. At forsan nulla hìc fuit Concilii culpa, sed Sigismundi Imperatoris. Nulla est enim fides Husso data à Concilio, sed à Sigismundo. Quid hoc ad Concilium? Nec hic decreti sensus est, si Ecclesia aut Concilium, sed si secularis aliquis Princeps salvum conductum dederit, tamen Concilium posse punire. At Concilii etiam ipsius culpa fuit. Persuasit enim Concilium Sigismundo, necessariò id fieri oportuisse, quod factum est, nec teneri illum in ista causa fidem servare, sed fide data liberari. Nã sequitur in eodẽ decreto, *promittentẽ salutem, si aliàs fecerit, quod in ipso est, ex hoc non*

reman-

remansisse in aliquo obligatum. Quid hoc aliud est, quàm non teneri, vt fidem servet? Et tamen Molanus contrà asserit. Ergo Sigismundus saltem obligatus erat, at in decreto non esse obligatus pronunciatur. Sed quæro ab illis, quis Hussum exussit? Respondebunt: non esse hoc à Concilio factum, quia secularis magistratus hoc munus & officium erat. Rectè. At Sigismundus à Concilio persuasus hoc fecit. Hinc colligo, si Concilium potuit iure Cæsari persuadere, vt fidem frangeret, tum & ipsum Concilium potuisse hoc supplicio Hussum afficere. Quid quòd ad marginem illius decreti extat hæc annotatiuncula, apposita ab illo, qui Concilium edidit, *Hæreticis suas hæreses pertinaciter defendentibus, salvum conductum non patrocinari?* Molanus lib. 2.cap.7. ait hoc esse annotatum loco non opportuno. Sed cur ipse verã esse huius annotationis sententiam probat in eodem capite similitudine quadam? *vt si latrones* (inquit) *& incendiarii ad Cameram vocati venirent, tamen non obstante salvo conductu puniri possent.* Sic iam apertè Molanus secum pugnat, & prodit eam sententiam, quam vehementissimè videri vult amplecti & defendere, Quanquam enim videri vult, Concilium Constantiense defendere, & probare simul, fidem cum hæreticis esse servandam: tamen revera sentit servandam non esse. Ex hac igitur illius confessione, & ex verbis decreti patet, hanc esse Adversariorum hac de re sententiã, cũ hæreticis scilicet non esse ser-

vandam fidem, ſed poſſe illos etiam fide data ad Concilia convocatos nihilo minùs extremo ſupplicio affici, niſi ſententiam ſuam mutare, imò abiurare, & abjicere voluerint . Et tamen Molanus in toto ſuo libro contra hanc ſententiam diſputat. Coclæus verò affirmat, fidem datam fuiſſe Huſſo veniendi ad Concilium, non autem à Concilio redeundi, quia in diplomate illius ſalvi conductus nulla mentio fit redeundi. Præclarum commentum. At hoc inſidioſum planè fuiſſet. Et Molanus ait hoc ſemper intelligi in omni diplomate ſalvi conductus, licèt non exprimatur. Ergo fefellit fidem Sigiſmundus, idq; ex authoritate illius C[illegible]cilii. Mitto quòd in illo Concilio definitum eſt, Concilium eſſe ſupra Papam, quod Papiſtæ falſum eſſe contendunt. Sed hac de re antea in ſuperiori quæſtione diximus. Idem etiam in Concilio Baſilienſi decretum eſt. Sed negant Adverſarij hæc Concilia in his decretis valere.

Progredior, & poſtremo loco profero Concilium Lateranenſe ſub Leone decimo ſeſſ. 14. vbi probantur & confirmantur montes pietatis (hoc eſt, vno verbo, uſura & fœneratio) qui à *Pio* ſecundo fuerant inſtituti. Mons verò pietatis fuit cumulatus ęris acervus ſublevãdis pauperum miſeriis deſtinatus, vnde licuit quibuſvis mutuò accipere, modò pignora deponerent, & ſingulis menſibus aliquid ſolverẽt propter mutuum. Nihil differt ab uſura, qu[illegible] ſemper dãnavit, & impiã eſſe exiſtimavit Eccleſia Catholica.

lica. At ſtabilitum eſt hoc decretum in Concilio Lateranenſi ſub gravißimo anathematiſmo, ne quis in poſterum impugnaret. Conſtat autē hos montes pietatis à multis fuiſſe reprehenſos. Dominicus Sotus magnus Theologus, qui interfuit huic Concilio, in lib. 6. de iure & iuſtitia, cap. 1. quæſt. 6. hos montes damnat, & ait eiuſmodi *rationem* ab vſuræ ſordibus neutiquam elui poſſe, idq; rationibus deinceps probat. In quo ſecutus eſt Caietanum, qui cùm huic Concilio intereſſet, tamen tractatum quendam de his montibus ſcripſit, & ait huiuſmodi mutuationem eſſe illicitam & uſurariam. Nec poſſunt Adverſarii ſe excuſare, quòd hi montem non ſic damnant, ut erat in Concilio probatus. Nam Caietanus quandam particulam deſiderat, quæ non extat aut in Bulla, aut in Concilii decreto. Sed Martinus Azpilcueta cap. 17. numer. 213. & Caietanum & Dominicum reprehendit, & ſic montem pietatis defendit, quemadmodum ab illis improbatur, quia exigua illa ſumma fuit pro victu & ſalario eorum, qui pecuniam cuſtodiebant, mutuabantur, recuperabant. Sed hoc nihil ad rem. Nam ſimili modo poſſunt omnes fœneratores ſuas vſuras defendere. Si verò privatus non poteſt hoc modo vſurarius eſſe, neque domus certè tota aut ſocietas aliqua poteſt. Legite Dominici Soti & Caietani tractatus hac de re, ex quibus intelligetis nullâ legitimâ ratione decretum hoc defendi poſſe.

Iam

Iam verò postremo loco Tridentini Concilij tot mihi errores & hæreses liceret commemorare, quot sunt illius Concilij capita. Sed hoc Concilium à Chemnitio viro gravissimo & doctissimo satis exagitatum est, ut mihi non necesse sit aliquid adjicere.

Nunc alia quædam testimonia ex Patribus proferemus. *Primum* testimonium est Nazianzeni in Epist. ad Procopium, 42. ubi sic scribit. ἔχω μὲν οὕτως, εἰ δεῖ τ' ἀληθὲς γράφειν, ὥστε πάντα σύλλογον φεύγειν ἐπισκόπων, ὅτι μηδεμιᾶς συνόδου τέλος εἶδον χρηστὸν, μηδὲ λύσιν κακῶν μᾶλλον ἐσχηκυίας, ἢ προσθήκην. *Ego, si vera scribere oportet, ita animo affectus sum, ut omnia Episcoporum Concilia fugiam, quoniam nullius Concilij finem lætum faustumque vidi, nec quod depulsionem malorum potiùs, quàm accessionem & incrementum habuerit.* Hoc testimonium non eò adducimus, ut omnia Concilia damnemus, sed ut ex Concilijs non pēdeamus. Bellarminus respondet 1. Nazianzenum queri, nullum suo tempore fieri potuisse legitimum Cōcilium. *Respondeo.* Nihil minus. Nam fuit vocatus ad illud Concilium, quod erat legitimum, nempe ad Concilium Constantinopolitanum primum, cui etiam interfuit, & orationem habuit ad centum & quinquaginta Patres illius Concilij, quæ extat. Sed quare non potuit fieri legitimum Concilium tempore Nazianzeni? Nónne tum Princeps pius erat? nónne tum Damasus Papa fuit? Tamen Nazianzenus maluit non venire. 2. Respondet Bellarminus, Nazianzenum

anzenum fuisse strenuum prædicatorem Nicæni Concilij. *Respondeo:* Non ille fuit Concilij prædicator, sed fidei, quam Concilium piè ediderat. Sed hoc nō arguit, illum sensisse, Concilium illud non potuisse errare. Nam illius verba sunt generalia, πάντα σύλλογον, & μηδεμιᾶς συνόδου. Non modò ergo cùm aperti hæretici, verumetiam cùm Catholici conveniunt, Concilia errare possunt. Sed quomodo hoc fieri potest, cùm non possint errare legitima Concilia? At hoc fuit ignotum Nazianzeno. Nam si illi tale aliquid notum fuisset, tum ille Concilia expetijsset. Sed non modò non expetebat, verumetiam refugiebat. Quare? quia nullius Concilij bonū exitum videbat. Et quamobrem id quæso? quia non tam λύσιν quàm προσθήκην κακῶν habebant. Sed quid tandem in causa fuit, cur mala per Cōcilia non depellerētur, sed potius augerentur? Hoc factum est (inquit Nazianzenus) propter Episcoporum φιλονεικίαν καὶ φιλαρχίαν. Quid? an non Nicæni Concilij optimus finis fuit? imò ne Nicæni quidem: nam eluvies malorum illud Concilium secuta est, quemadmodum ex historiis constat. Hac de re sic scribit Hilarius ad Constant. Imperat. *Conscij nobis sumus invicem, post Nicæni conventus synodum, nihil aliud, quàm fidem scribi, dum in verbis pugna est, dum de novitatibus quæstio est, dum de ambiguis occasio est, dum de authoribus querela est, dum de studiis certamen est, dum in consensu difficultas est, dum alter alteri anathema esse capit, propè iam nemo Christi est.*

Hæ

Hæ turbæ ſecutæ ſunt Nicænam ſynodum, non ipſius quidem ſynodi, ſed hominum improborum vitio. Et de Nazianzeno hactenus.

Secundum noſtrum teſtimonium eſt ex Auguſtino, qui in lib. 3. contra Maximinum, cap. 14. ſic ſcribit. *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe tanquam præiudicaturus proferre Concilium, nec ego huius authoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum authoritatibus, non quorumq; proprijs, ſed utriſque communibus teſtibus, Res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet.* Reſpondet Bellarminus, Auguſtinum non velle id dicere, non teneri ullo modo Maximinum auctoritate Concilij Nicæni, ſed non teneri in illa diſputatione, quia Auguſtinus id promittebat. *Reſpondeo:* At ſi ea Conciliorum legitimorum fides & authoritas ſit ex iure divino, ut errare nullo modo poſſint, & ſi hoc dogma tunc temporis paſſim in orbe Chriſtiano receptum fuiſſet; ne in illa quidem diſputatione vel Maximinus hoc Concilium reſpuere auſus fuiſſet, vel Auguſtinus tale quicquam promittere debuiſſet, præſertim cùm hoc Concilium omni exceptione maius eſſet. Sed ait Bellarminus, Maximinum objeciſſe Nicæno Concilio Concilium Ariminenſe, & Auguſtino non viſum eſſe operepræcium, tunc tempus conſumere in oſtendēdo Conciliū Nicænum fuiſſe legitimum, & Ariminenſe illegitimum, cùm haberet meliora argumenta ex Scripturis, idcirco omiſſis Concilijs ad Scripturas veniſſe. Sed *reſpondeo:*

ſpondeo: operæprecium fuiſſe Auguſtino, vindicare Concilijs eam authoritatem, quam Scripturæ illis tribuunt, nec debuiſſe illi hoc moleſtum videri. Quanquam & hoc etiam illum aliqua ex parte præſtitiſſe, nemini obſcurum eſſe poteſt. Cùm enim dogma illud Scripturis conſentaneum eſſe doceat, quod in Concilio Nicæno definitum fuit, illud verò cum Scripturis pugnare, quod Concilium Ariminenſe decrevit, quis non videt ipſum haud obſcurè innuere, legitimum fuiſſe illud Concilium, hoc verò illegitimum? Sed ne videretur Adverſarium nuda Concilij authoritate premere, & quidem eiuſmodi Concilij, quod illius cauſæ manifeſtè præiudicaret, Scripturarũ maluit quàm Concilij authoritate niti. Verùm ſubiungit Bellarminus, Auguſtinum alioqui putaviſſe, Concilium Nicænum ſummæ fuiſſe authoritatis, & oportuiſſe omnes illi acquieſcere, idque patere ex verbis præcedentibus, ubi ſic ait. *Hoc eſt illud homouſion, quod in Concilio Nicæno adversùs hæreticos Arianos à Catholicis Patribus veritatis authoritate, & auctoritatis veritate firmatum eſt.* Quid enim eſt veritas authoritatis (inquit) niſi vera & certa authoritas? *Reſpondeo:* Quanquam magnam fuiſſe illius Concilii authoritatem negari non poteſt: tamen quis non videt, his verbis prædicari ab Auguſtino, non Cõcilii ipſius, ſed Scripturæ authoritatem, qua freti Patres illius Concilii ſuum illud ὁμοούσιον cõtra Arianos hæreticos planiſſimè confirmârũt?

Nam

Nam cùm ait Augustinus, fuisse hoc dogma ab illis veritatis authoritate & auctoritatis veritate firmatum, quid aliud, quæso, per veritatem intelligit, quàm verbum illud divinum, sacrosanctum, & θεόπνευστον, de quo Christus Ioan. 17. 17. ἁγίασον αὐτοὺς ἐν τῇ ἀληθείᾳ σου, ὁ λόγος ὁ σὸς ἀλήθειά ἐστι. *Sanctifica eos tua veritate, sermo ille tuus veritas est.*

Aliud nostrum testimonium sumitur ex eodem Augustino in lib 2. de Baptism. cap. 3. vbi ait Augustinus, Concilia plenaria priora à posterioribus emendari. Nec dici potest, eum loqui de plenarijs impropriè, id est, nationalibus, quia paulò antea dixerat, Concilia Regionalia & Provincialia debere cedere plenarijs, & tunc subdit, inter ipsa plenaria, priora à posterioribus emendari. Quòd si priora illa antiquissima Concilia emendatione indigebant, quot erroribus scatebunt ista recentiora? vt rectè Hermãnus lib. 3. cap. 16. Prolegom. Bellarminus tripliciter respondet. *Primò* ait, fortè loqui Augustinum de Concilijs illegitimis, quæ per posteriora legitima emendantur, vt accidit (inquit) Concilio Ephesino secundo, quod in Chalcedonẽsi emendatum est. *Respondeo*: Præclarè sibi in hac rẽsponsione consuluisse videtur Iesuita, qui pro certo hìc aliquid asseverare nõ audeat, sed cum hæsitatione loquatur. Verùm mihi licebit sine omni hesitatione respondere, Augustinum hoc in loco de legitimis tantùm Concilijs loqui. Id quod ex eo facillimè evinci potest, quòd com-

parationem instituat inter sanctas Scripturas Canonicas, tàm veteris quàm novi Testamenti, & Episcoporum etiam sanctorum & legitimorum (qualis fuit Cyprianus, & collegæ eius in Concilio Carthaginensi congregati) tum literas privatas, tum etiam Cōcilia publica: quòd de his dubitari & disceptari possit, de illis minimè; in his, si quid à veritate deviatum fuerit, reprehendi possit & emendari, in illis verò nihil tale reperiri possit, quod vel emendatione egeat, vel reprehensionem cuiusquam mereatur. Iā verò Scripturas cum Conciliis illegitimis hoc modo comparare, quàm ineptum fuerit, omnes intelligunt. Nec tam emendanda quidem sunt Concilia illegitima, si verè & omni ex parte illegitima fuerint, quàm infringenda prorsus, & abroganda, & si id fieri posset, è medio penitus tollenda. *Secundò* respondet Bellarminus, si de legitimis Conciliis loquatur Augustinus, tum agere eum de quæstionibus facti, non iuris, in qualibus quæstionibus (inquit) non dubium est Concilium errare posse. Et probat Augustinū videri posse de eiusmodi quæstionibus agere, quia præcipua quæstio Catholicorum cum Donatistis erat de Cæciliano, librósne sacros tradidisset hostibus fidei, an non? *Respondeo:* Mirum est Bellarminum, virum alioqui acutum satis & perspicacem, in re tam manifesta tā turpiter hallucinatum esse. Etsi enim hæc quæstio de librorum sacrorum traditione inter Catholicos & Donatistas agitata diu fuerit: in his

tamen

tamen libris Augustino minimè propositum fuit illam quæstionem attingere, sed aliam potius, de qua erat à Cypriano cum aliis Episcopis in Concilio Carthaginensi disceptatum, de iis scilicet rebaptizandis, qui ab hæreticis baptizati erant, quam esse fidei & iuris, non facti quæstionem, omnes intelligunt. Id verò ex eo constare potest, quod in ipso principio primi libri habetur, vbi sic scribit Augustinus. *In iis libris quos adversus Epistolam Parmeniani, quam dedit ad Ticonium, scripsimus, promisimus nos diligentiùs quæstionem Baptismi tractaturos. Quod etiamsi nõ ibi promitteremus, debitum tamen à nobis flagitãtibus fratribus meminimus & agnoscimus. Quapropter in hoc opere, adiuvante Domino suscepimus non solùm ea refellere, quæ de hac re nobis Donatistæ obiectare consuêrunt, sed etiam de beatissimi Martyris Cypriani authoritate, unde suam perversitatem, ne veritatis impetu cadat, fulcire conantur, quæ Dominus donaverit dicere, ut intelligant omnes, qui non studio partium cæcati iudicant, non solũ eos non adiuvari authoritate Cypriani, sed per ipsã maximè convinci atq; subverti.* Manifestum ergo est, Augustinum hoc in loco de quęstionibus fidei sive iuris potiùs quàm de quæstionibus facti agere. Hæc enim de hæreticorum Baptismo questio, fidei non facti quæstio fuit. *Tertiò* respondet Bellarminus, vel potiùs responderi posse ait (sic enim ille in suis responsionibus vacillare solet) si contendant adhuc Adversarij, Augustinum loqui de universalibus quæstionibus:

bus: emendari priora Concilia per posteriora, quoad præcepta morum, non quoad dogmata fidei. Præcepta enim morum mutantur (inquit) iuxta temporum, locorum, & personarum mutationes, & illæ mutationes dicuntur emendationes, non quòd res mala esset eo tempore, quo est instituta, sed quòd mala esse cœperit mutatatis circumstantijs. *Respondeo*: In re non obscura molestiam sibi facessit non necessariam Iesuita. Quæstionem enim illam de non repetendo hæreticorum Baptismo, de qua Augustinus in illo loco, atque adeo in toto illo opere agit, nec de facto, nec de moribus, sed de fide & doctrina institutam esse omnes nôrunt. Sed subiungit Bellarminus, vtramque solutionem suam, & hanc scilicet, & priorem, ex verbis Augustini confirmari, qui dicit tunc emendari Concilia, *quando experimento aliquo aperitur, quod clausum erat.* Experimento enim (inquit) aperiuntur quæstiones de facto, vel de moribus, non quæstiones iuris vniversales. *Respondeo*: Singularem Adversarij fraudem atque versutiam hoc in loco observare, operæprecium certè erit. Statim enim post hæc verba, ex quibus ille vtramq; suam solutionem confirmari posse putat, sequuntur apud Augustinum alia, quæ quia contra illum, eiusque defensionem maximè faciebant, consultò resecanda & prætermittenda esse censuit. Ait enim Augustinus, non modò tunc emendari Concilia, *quando experimento aliquo aperitur, quod clausum erat*, ve-

rumetiam quando *cognoſcitur , quod latebat*. Iam verò quemadmodum quæſtiones de facto, vel de moribus, quæ priùs clauſæ erãt, poſſunt experimento poſtea aperiri: ita quæſtiones iuris vniverſales, ſive quæſtiones de fide & doctrina, quæ antea latebant, poſſunt poſtea, diligentiori adhibita diſquiſitione, cognoſci. Ita hoc Auguſtini teſtimonium ab omnibus, vti ſpero, Adverſarij calumnijs vindicavimus.

Tertium noſtrum teſtimonium ſumitur ex Leone, qui in Epiſt. 53. ad Anatolium, & 54. ad Martianum, & 55. ad Pulcheriam, agnoſcit Chalcedonenſem Synodum legitimam fuiſſe, & tamẽ non dubitat ei attribuere ambitionem, & inconſultam temeritatem: ergo putabat ille legitimum Concilium poſſe errare. Citatur hoc Leonis teſtimonium à Calvino in lib. 4. inſtitut. cap. 9. parag. 11. Reſpondet Bellarminus, & ingenuè agnoſcit, Concilium legitimum errare poſſe, in his quæ non legitimè agit. Ita ille imprudens fatetur, Concilium etiam legitimum poſſe quędam non legitimè agere, & in ijs quidem errare. Quaſi verò quiſquã vnquam dixerit aut ſomniaverit, Cõcilia etiam omni ex parte legitima, in ijs quæ legitimè agunt, errare. Si enim errant, non agunt legitimè, ſi legitimè agant, non errant. Concilium enim legitimè dicitur agere, non modò cùm eos damnat, & anathematis fulmine perſtringit, qui damnandi & anathematizandi ſunt, verumetiam cùm illa dogmata ſtatuit & defendit, quæ cum Scriptu-

ris

ris sacris consentiunt, quemadmodum è contra illegitimè agere dicitur, non modò cum eos dānat, qui damnandi non sunt, verumetiam cùm ea statuit & decernit, quę cum Sacrarum Scripturarum sententia & authoritate pugnant. Ergo cùm errat Concilium legitimum, in ijs tantùm erret necesse est, quæ non legitimè agit, in reliquis verò nullus aut esse potest error, aut agnosci debet. Quare hæc frivola & futilis Bellarmini responsio est. Sed subiungit, & disertè affirmat, hoc ipsum Concilium Chalcedonense, quod fuit vnum è quatuor primis, & pręcipuis, & generalibus Concilijs, errâsse in decreto illo, in quo anteponit Episcopum Constantinopolitanum Alexandrino & Antiocheno. Ergo Concilia generalia & legitima ex ipsius Adversarij cōfessione, falli, errare, labi, decipi possunt. Quanquam re vera nullus hîc huius Concilij error fuit, cùm ista προεδρία Episcopo Constātinopolitano à Patribus huius Concilij concessa, ordinis tantùm non potestatis aut iurisdictionis esset. Et hinc quidem apparet, quàm exigua olim Pontificis Romani potestas atque authoritas fuit, quo etiam invito, valdeq; repugnante, hoc tamen Concilij decretum obtinuit.

Quartum nostrum testimonium est Isidori apud Gratianum dist. 50. can. *Domino sancto*. Asserit Isidorus, Concilia aliquādo inter se dissentire, & tum standum esse antiquioribus, magisque probatis. Quæ regula contraria est regulæ Augustini, qui posteriora Concilia antepone-

bat prioribus. Et præterea ex ea colligitur, Concilia inter ſe aliquando pugnare, & proinde aliqua eorum errare. Reſpondet Bellarminus, Iſidorum loqui de Conciliis, quorum non eſt certa authoritas, quæ videlicet non ſunt à Pontifice expreſsè confirmata, quæ Concilia (inquit) inter ſe pugnare poſſe, & errare, non negamus. *Reſpondeo*: Loquitur Iſidorus eo in loco de Concilio Ancyrano, vel ut Gratianus ſcribit, Anchiritano, quod an expreſsè fuerit à Pontifice confirmatum, haud ſcio, inter illa verò Concilia, quæ vel omnino, vel ex parte reprobata fuerint, ne ab ipſo quidem Bellarmino numeratur. Verùm regulam illam Iſidori de Cõciliis legitimis, quorum certa eſt authoritas, intelligendam eſſe, ex ipſis Iſidori verbis ſatis intelligi poteſt, quæ ſic ſe habent apud Gratianum. *Quotieſcunque in geſtis Conciliorum diſcors ſententia invenitur, illius Concilij ſententia magis teneatur, cuius antiquior & potior extat authoritas.* Loquitur ergo Iſidorus in genere de omnibus Conciliis, & diſertè fatetur diſcordes ſentẽtias etiam in iis Conciliis inveniri poſſe, quorũ eſt antiqua, legitima, probata, & certa authoritas, & tum demum ſequendam eſſe ait illius Cõcilii ſententiam, cuius præ reliquis, ſi plura fuerint, vel præ altero, ſi in duobus tantùm hęc ſẽtentiarum diſsenſio reperiatur, antiquior ſit & potior authoritas. Quid quòd gloſſator ipſe in Gratianum aſſerat, tenere hanc regulam Iſidori in iis Conciliis, quorum Canones & iuſtè in-

in

ſtituti, & inſtinctu Spiritus ſancti promulgati ſunt, quæ nullis, opinor, Conciliis tribuenda eſſe concedet Bellarminus, niſi quorum certa & legitima eſt authoritas? Hæc ergo Bellarmini reſponſio nullo certo fundamento, ſed mera tantùm coniectura nititur. Sed ſubiungit, Iſidorum non pugnare cum Auguſtino, quia Iſidorus loquitur de fidei doctrina, Auguſtinus verò de quæſtionibus facti, vel morum præceptis. *Reſpondeo*: Iſidorus in genere loquitur de omnibus quæſtionibus, quæ in Conciliis definiri ſolēt. Auguſtinum vero non tantùm de quæſtionibus facti, vel morum pręceptis, verumetiam de quęſtionibus fidei loqui, nos antea docuimus. Et de hoc teſtimonio ſatis multa à nobis dicta ſunt.

Quintum noſtrum teſtimonium ſumitur ex Gratiano, qui ſæpe docet, diſcordare inter ſe Conciliorum decreta, & apud quem decretum quoddam hoc titulo inſcribitur, *concordantia diſcordantiarum*. Reſpondet Bellarminus, Gratianum loqui de diſcordantiis apparentibus, non veris. Nam ſi veræ eſſent (inquit) concordari non poſſent. *Reſpondeo*: Sunt in Conciliis non apparentes tantùm, verumetiam veræ diſcordantiæ. Id ex Auguſtino patet, qui in lib. 2. de Baptiſm. cap. 3. diſertè ait, Concilia etiam generalia ſæpe corrigi priora à poſterioribus, & emendari, quoniam in prioribus ſcilicet manifeſti errores continebantur, qui neceſ-

sariò corrigendi & emendandi sunt. Exempla si quærantur, in promptu sunt. Concilium Carthaginense tertium cap. 26. (quemadmodum habetur apud Gratian. dist. 99. cap. *Primæ sedis*) excōmunicationem illi denunciat, qui se profiteatur Episcopum universalem, aut Pontificem supremum. E contra Tridentinum Concilium anathema ei pronunciat, quicunque Romanum Episcopum eiusmodi titulis non exornaverit. Vtrumq; Concilium legitimum fuisse, negare non possunt Adversarii, quia vtrumq; fuit à Pontifice Romano approbatum & confirmatū, hoc à Pio quarto, illud à Leone quarto. Præterea idem Concilium Carthaginense cum Concilio Laodiceno apertissimè pugnat. Nam Concilium illud Carthaginense can. 47. in Canone Scripturarum libros Apocryphos numerat, Tobiam, Iudith, Baruch, Sapientiam, Ecclesiasticum, & libros Machabæorum. E contra Concilium Laodicenum cap. vlt. istos omnes libros à Canone reiicit. Idem de Concilio Constantiensi & Basiliensi dici potest, quorum prius sess. 13. excommunicat omnes sub utraq; specie communicantes, posterius verò sess. 30. communicationem sub utraq; specie omnibus fidelibus, qui voluerint, concedit. Plura possent exempla cumulari, sed ista sufficiunt. Nostrorum libri huiusmodi exemplis passim abundant. Ex his evinci potest, Cōcilia etiam à Romano Episcopo confirmata,

non

non apparenter tantùm, & in ſpeciem, ſed verè etiam & reipſa inter ſe diſcordare.

Sextum & vltimum noſtrum teſtimonium à Bellarmino citatum ſumitur ex eodem Gratiano, qui diſt. 18. can. 1. ait Concilia Epiſcopalia eſſe invalida ad definiendum & conſtituendū, non autem ad corrigendum. Neſcio quis noſtrûm hoc teſtimonio in hac cauſa uſus fuerit. Non magni certè momenti eſt. Tamen quid Bellarminus reſpōdeat videamus. Ait ille Concilia Epiſcopalia á Gratiano vocari, non quælibet Concilia, ſed tantùm provincialia, in quibus ſoli Epiſcopi, non Archiepiſcopi, aut Patriarchæ conveniunt. Eſto. Iſta autem Concilia (inquit) ordinariè non inſtituuntur ad dogmata fidei conſtituenda (id enim proprium eſt generalium Conciliorum) ſed tantùm ad reſtituendā diſciplinā Eccleſiaſticā, & mores corrigendos. Itaque ex ſe & ordinariè invalida ſunt ad conſtituenda dogmata fidei. Si tamen, inquit, aliqua vrgēte neceſſitate definiāt aliquid de fide, & eorū decretū à ſede Apoſtolica approbetur, nihil obſtat, quò minùs valida eſſe poſſint. *Reſpōdeo*: Ergo accedente Pontificis Romani authoritate, eiusque approbatione & confirmatione adiuncta, quodvis Concilium etiam provinciale, parem etiam cum frequentiſſimis Concilijs generalibus authoritatem habebit, pariterq; erit ab errore liberum. Hoc ille in capite quinto huius libri multis rationibus probat, ne particularia quidem Concilia, ſi fuerint à ſummo Pon-

tifice cõfirmata, in fide aut moribus errare posse. Quod si verum sit, quidni Episcopalia, hoc est, provincialia Concilia, æque valida sint ad fidei dogmata constituenda, ac generalia, cùm ne generalia quidem quicquam statuere possint, quod vim legis habeat, aut extra erroris aleam positum sit, nisi Pontificis Romani authoritas accesserit. Atq; hæc sunt omnia nostra à Patribus desumpta testimonia, quæ â Bellarmino citantur, quibus nos vnum aut alterum adiungemus.

Hieronymus in Epist. ad Galatas hæc verba habet. *Spiritus sancti doctrina est, quæ Canonicis literis prodita est, contra quam si quid statuant Concilia, nefas duco.* Existimavit ergo ille Concilia posse aliquid statuere contra Spiritus sancti doctrinam in sacris Scripturis traditã, & tum quidem errare, & à veritate deviare. Ita Ambrosius in Epist. 32. Nicænum Concilium recipit, Ariminense repudiat, quia cum Scripturis illud congruebat, hoc verò pugnabat. Sic enim scribit. *Hanc fidem Galliæ tenent, hanc Hispaniæ, & cum pia divini Spiritus confessione custodiunt.* Et in lib. 1. de fide cap. 8. idem Ambrosius hæc verba habet. *Sic nostri secundùm Scripturas dixerunt Patres.* Ergo existimavit ille Concilij cuiusque sententiam ex Scripturis esse dijudicandam, à quibus si tantillum deflexerit, in errorem incidat necesse est. Sed totam hanc quæstionem vno aut altero Augustini testimonio cõcludam. *Primum* Augustini testimonium habetur in Epist.

pist. 111. vbi hæc verba habentur. *Neque quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas habere debemus, vt nobis non liceat salvâ honorificentiâ quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si fortè invenerimus quòd aliter senserint, quàm veritas habet, divino adiutorio vel ab alijs intellecta vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, quales ego volo esse intellectores meorum.* *Alterum* Augustini testimonium habetur lib. 2. contra Crescon. cap. 21. vbi sic scribit. *Quia Paulus dicit Ecclesiam esse subditam Christo, non igitur debet se Christo præponere, cùm ille semper veraciter iudicet, Ecclesiastici autem iudices sicut homines plerumq; fallantur. Tertium* Augustini testimonium habetur in Epist. 19. ad Hieronymum. *Ego solis eis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, hunc timorem & honorem didici deferre, vt nullum eorum authorem scribendo aliquid erràsse, firmissimè credam, alios autem ita lego, vt, quãtalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos authores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à veritate non abhorreat, persuadere potuerunt. Quartum* & vltimum Augustini testimonium habetur in Epist. 112. ad Paulinam. *Si divinarum Scripturarum, earum scilicet, quæ Canonicæ in Ecclesia nominantur, perspicuâ aliquid firmatur authoritate, sine vlla dubitatione credendum est. Alijs verò testibus vel testimonijs, quibus aliquid credendum esse suadetur,*

detur, tibi credere vel non credere liceat, quantum meriti ea admonentem ad faciendam fidem vel habere vel non habere perpenderis. Ita Augustinus solas Scripturas sacras ab errore liberas esse affirmat, illas solas eiusmodi esse, in quibus nihil improbari, aut respui debet, & à quibus provocare non liceat: Episcoporum verò vel seiunctorum, vel in Concilijs coniunctorum scriptis qui hæc tribuunt, ea Scripturis sacris & Canonicis æquant, quod sine blasphemia fieri non potest. Eant igitur nunc Adversarij, & Concilijs, si velint, æqualẽ cum Scripturis authoritatem tribuant, quod certè faciunt, cùm Concilia errare non posse docent & defendunt, ideoque ad Scripturæ examen revocari minimè patiuntur. Et de hac Quæstione, deque hac tota Controversia, hæc dixisse sufficiat.

Quæstionis sextæ finis.

PRÆ-



Prælectio habita Februarii 27.

Anno Dom. 1594. coram honoratissimis Comitibus, Essexio, Salopiensi, Rutlandiensi; illustrissimis Baronibus, DD. Montioy, Burroes, Compton, Sheafield, Riche: ornatissimis equitibus, Guil. Bowes, Carol. Candish, Rob. Sydney, Georgio Savel; & multis generosis.

1. Tim. 2. 4.

Ὃς πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν. *Qui quosvis homines vult servari, & ad agnitionem veritatis venire.*



LOcus insignis, sed notus magis quam intellectus. Si verò quod Clemens in προτρεπτικῷ scripsit, ijs qui disciplinas tradunt, ἀπόρροιά τις θεϊκὴ ἐνέσταλται, *Genius quidam influit in animos*; mihi hodie, ut precor & spero, cœlestis ille paraclêtus magister autorq; veri, aderit, dabitque si non omnes ex hoc dicto Apostolico difficultates sustulisse, at mentem tamen Apostoli aperuisse. *Difficilium*

um verò facilis venia, Tertullianus inquit: quam eo magis imploro hoc tempore, quo minùs ipse mihi confido in hac tam inusitatâ coronâ, eâque omnium, quas viderim, splendidissimâ dicturo. Locum meum hunc veterem agnosco, sed novum genus auditorum, floremque ipsum Curiæ conspicio; quæ quando occurrit oculis nova & tam plena maiestatis frequentia, perstringor animo, homo naturâ timidus, & toto corpore collâbor, meq; loqui nō in Academia, sed in Curia, à qua semper refugi, censeo. Sed nullus nunc aut subterfugij aut veniç locus: nos agamus quod nostrum est, quodq; possumus; cætera Deo curæ erunt.

Apostolus igitur sermonem de precibus instituens, pro quovis hominum genere precandum esse docuit: inprimis autem & seorsim pro Regibus & principibus viris, quos Deus ad summum honoris atque authoritatis gradum evexit, ut non modò trāquillitatis & pacis publicæ custodes essent, sed honestatis etiam veræque pietatis vindices; ne illorum functionem omnem ad res duntaxat forenses pertinere existimemus. Argumētum à fine ducitur. Hæ curæ, vigiliç, artes debent esse Principum, providere, si poterint, ut populus non modò in pace vivat, sed Deum sanctè casteq; colat: ergo nostrum est, Deo salutem Principum assiduis & solicitis precibus commendare. Quod quidem si ullus populus facere unquā debuit, nos maxime oportet, nisi ingratissimi simus, pro nostræ

optimæ Principis, dicam, an parẽtis, incolumitate, Deo sæpius & studiosiùs, quàm pro capitibus nostris supplicare: eoque nūc magis, quò plures passim volitant sicarij & venefici emissarij, mancipia Satanæ & Papæ, qui summam pietatem in summo scelere ponunt, & sectæ suæ esse putant, non modò viles animas ut pecudes trucidare, sed Principes & viros primarios, quos Pontifex aut proscribit, aut non amat, tollere de medio, si possint. Apostolus autem longè aliter, adeo abesse à Principum personis violandis, ne dum interficiendis oportere, ut pro illis perpetuò precandum esse doceat, idque pium, Deoque nostro servatori gratum esse confirmet. Quod si pium sit, Deoque placeat, vota facere pro vita Principum, certè impium & Deo odiosum est, de illorum pernicie cogitare, quicquid contrà impij atque infesti Iesuitę persuaserint. Sanctum enim est, non quod illi volunt, sed quod Deus mandavit: qui cùm toti mortalium generi favet, tum præcipuè Principes singulari quodam favore prosequitur, οἷς λαοί τ' ἐπιτετράφαται ϗ τόσσα μέμηλε, ut divinus Poeta, ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες. Sed iā Apostolus assurgit altiùs: & quia videri potuit frustra esse pro Principibus precari, quòd tum quidem Evangelio summâ contentione restiterint, & Christi Ecclesiam furiosissimè vexârint, non tamen proinde de illis desperandum esse monet, argumento à genere: Deus tam clemens est, ut omnes homines salvari velit, & venire ad notitiam

titiam veritatis, quæ via est ad salutem: ergo non est putandum, Dei clementiam præclusam esse Regibus, qui certè inter homines Dij sunt; & si, ut Clemens ait, omnis homo est οὐράνιον φυτὸν, quantò magis Principes, quibus Deus tanquam ministris aut vicariis, aut quodammodo collegis suis utitur: quique ut ille sapiens Rex dixit, φωνῇ ἀνθρωπίνῃ utuntur, sed interim ἐξουσίαν ἰσόθεον habent? Hos Deus salvos esse nolit, cui cordi est salus omnium? ut etiam in argumento maioris comparatio lateat.

Sed quemadmodum Deus salutem omnium velit, magna inter Theologos & dissensio & disceptatio est, de qua hodie mihi dicendum esse video. Quæramus igitur veritatem vero sincerоque studio, cùm multi mirentur, quo pacto eveniat, ut tanta hominum multitudo pereat, si verum dixit Apostolus, velle Deum servari omnes. Non potuit Deus servare quos voluit? Dei voluntas impediri possit? An aliquid fortius Deo? Quare cùm tam multi non perveniant neque ad salutem neque ad veritatis agnitionẽ, aut non voluit Deus servare omnes, aut à scopo suo & proposito multum aberravit. Fatendum est igitur, non simpliciter & absolutè Deum hoc velle de omnibus, ea volũtate quam Scriptura εὐδοκίαν vocat; quando impediri eam aut frustrari nulla ratio concedit. Si enim Deus quod cupiat, exoptet, expetat, efficere nequeat, omnipotens non est: si nolit, non igitur εὐδοκεῖ. Absit à nobis, ut fieri non credamus, quod

Deo

Deo placuit, cùm Scriptura fecisse clamat, quicquid voluit in cœlo terraq́; . Et Pontificij Theologi (Scotus & Occamus in 1.d.46.& alij) nullam in Deo voluntatem beneplaciti reperiri affirmant, quæ non impleatur. Et certè qui non facit, quod ex animo desiderat, eum aut infirmitate aliqua prohiberi, aut contrariæ voluntati cedere necesse est: quorum neutrum de Deo cogitare fas est. Mox igitur obtinemus sine certamine, non sic Deum velle salutem omnium, ut quorundam. Certè enim Christus Luc. 12. 32. parvum gregem suum prohibet timere, quia εὐδόκησεν ὁ πατήρ, patri placuit visumq́; est, illis regnũ dare. Et Apostolus, Eph. 1.5. ait nos prædestinatos esse ad adoptionem κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, *secundùm beneplacitum voluntatis suæ*. Certum igitur est, sic horum placere Deo salutem, ut eâ nihil Deo charius sit. Si sic omnes servari vellet, solicitiùs in lapidem aut carbonem verteretur quàm quisquam homo interiret. Adhuc igitur pergamus, ut liqueat quomodo Deus servari velit omnes. Damascenus magnus Theologiæ magister lib. 2. cap. 29. de fide orthodox. distinctionem quandam adhibet, quam ipse finxit, non didicit, voluntatis antecedentis & consequentis: vocat θέλημα προηγούμενον & ἑπόμενον. Velle Deum προηγουμένως omnes servari, non ἑπομένως. Sensus est, Deum omnes ad fœlicitatem & salutem condidisse, & omnia ijs adiumẽta ad hos fines necessaria subministrare, idque sibi ex animo proponere, ut

omnes beatos faciat, niſi per ipſos ſteterit: ſed multos hac benignitate abuti, & ſuæ ſaluti adverſari, ideoque nolle eos ſervari. Hæc opinio ſalutem omnium ab ea conditione ſuſpendit, ſi ipſi velint: poſſe omnes ſervari ſi velint, nullos damnari, niſi quòd ſalutem reſpuerint, qua potiri in eorum arbitrio & poteſtate fuerat. Multi hanc ſententiam ut omnium æquiſſimam, & iuſtitiæ divinæ convenientiſſimā amplectuntur, præſertim Papiſtæ, qui libero arbitrio plus tribuunt, quàm fides Catholica permittit. Vera ne ſit, ſtatim audietis. Nunc quid alij ſtatuerint, exponamus. Thomas in hunc locum, eiuſque diſcipulus Caietanus, & Marſilius in 1.d.45.art.1. multique alij, aiunt Apoſtolum de voluntate ſigni loqui, non beneplaciti. Nam voluntatem beneplaciti in Deo eſſe formaliter: eamque impleri ſemper: ſigni non eſſe formaliter in Deo, ſed eſſe effectum Dei proponentis omnibus hominibus præcepta ſalutis, doctrinamq; Evangelij, quemadmodum Deus, quando punit peccatores, ijs iraſci dicitur, cùm nulla in Deo ira formaliter ponenda ſit. Illam dici iram, & hanc voluntatem, ſed impropriè. Velle ergo omnes ſalvos eſſe, quia omnibus proponit documenta ſalutis. Non hæc nupera, non pridiana diſtinctio eſt, à Petro Martyre, aut Iohanne Calvino excogitata, ſed ab ipſis Scholaſticis uſurpata: utinam nullas nobis peiores reliquiſſent. De hac quid ſentiam, mox expromam. Nunc quid Auguſtinus tradidit, audiamus, cuius non immerito

meritò nobis gravissima authoritas videri debet in hac causa, in qua tantopere sese exercuerit, homo & ingenio præstans, & falsarum opinionum debellator strenuus. Is sæpe hunc locū tractavit, sed aliter atq; aliter exposuit, in re tamen non dissimiliter. Epist. 107. Enchir. cap. 103. Hypognost. lib. 6. De prædest. Sanctorum cap. 8 non de omnibus universim, sed de omnibus, qui servantur. Vt quando unus Pædagogus docet pueros in aliqua civitate, solemus dicere, illū docere omnes eiusdē civitatis pueros; nō simpliciter omnes, cùm multi sint qui à nemine doceantur, sed qui docentur omnes. Et sic Rom. 5. 18. in uno omnes iustificari dicūtur, ut omnes in uno cōdemnantur. Certè non singuli iustificantur, sed qui iustificantur, in uno omnes iustitiam adipiscuntur. Hanc expositionem Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus sequitur in Commentarijs in hunc locum. Idem Augustinus in Enchirid. cap. 103. & de correp. & grat. c. 14. ait hoc in loco distributionem fieri pro generibus singulorum, non singulis generū, id est non singulos omniū ordinū Deū servare decrevisse aut populorum, sed nullum statum hominum, nec populum à salute excludi: Sic Christus Matth. 23. *decimatis omne olus*, id est, quāvis speciem oleris. Sic Christus Matth. 4. omnem morbum sanâsse dicitur, & in Arca Nohe, omnia animalia servata sunt: & tamen nec Christus ægrotos omnes restituit sanitati, & hominum pecudumque infinitæ myriades

In diluvio perierunt.

Istæ expositiones Thomæ & Augustini, in quibus pleriq; & graviores sanioresq; Theologi semper acquieverunt, terminis non sensu differunt. Sive enim dicamus, velle omnes servari voluntate signi non beneplaciti, sive omnes qui servantur, sive genera singulorum, huc rediit sēsus, non esse in decreto aut proposito Dei, homines vniversos servare, ut quidam opinantur. Tum enim nihil posset vniversi generis humani salutem impedire: & si aliquid obsisteret, at facile esset Deo, si vellet, impedimenta omnia removere, atq; omnium salutem expedire. Sed vult Deus (inquiunt nonnulli) si nos volumus, & nisi defuerimus ipsi nobis; Deus nostrā salutem ardenter expetit, nos salutem & fœlicitatē nostram sponte prodimus, quia servari nolumus, quod si vellemus, facilè possemus. Hęc nūc opinio increbrescit: quæ est penitus & pura puta Pelagiana. Et quidem negandum non est, nos magnopere deesse nobis in hoc negotio salutis: vt meritò propter hanc incuriam damnemur. Nihil ferè minoris, quàm salutem nostram æstimamus, nullius rei tam prodigi sumus, quàm propriæ salutis. Sed dicendum tamē non est, esse in arbitrio nostro, servari si volumus, aut hæreditatem cęlestem nostræ voluntatis merito tributam esse. Hæc illa voluntas est antecedens, commentum Damasceni; hæc conditio divinæ voluntatis, à qua salus omnium pendeat; hanc doctrinam Rhemenses Papistæ,

&

& Catharinus, & multi preterea Iesuitæ amplexi sunt: & ea facile in aures omnium animosq; illabitur, & non videtur á ratione atq; æquitate abhorrere. Vult Deus, sed quia noluмus nos, à salute excidimus. Age, rationes pauculas contrà proferamus, vt vulgaris huius opinionis, in qua nihil aut subtile aut reconditum, imò nec sanum aut solidum est, falsitatem redarguamus.

Igitur si hanc opinionē sequimur, vult Deus omnes servari, si velint omnes; *Primò*, dilutam admodum & frigidam voluntatem Deo tribuemus. Leviter vult, qui non vult, nisi alius velit; Absit ut salus nostra tam tenui nostræ voluntatis filo pendeat: aut Deus non magis velit salutem nostram, quàm ipsi nos. Quomodo igitur Propheta ait, inventum esse Deū ab iis, qui illum non quærebant? *Secundò*, erit igitur incerta & mutabilis voluntas Dei: & in Deo formaliter mutatio. Nam certè nil mutabilius voluntate hominum. Ita Deus nunc vult, nunc non vult, servari homines, si Dei voluntas hominum voluntatem sequatur. Atq; hoc modo in Dei voluntate mille mutationes ponentur. Absurdum, ἀθεόλογον, indignum Deo, & naturæ divinæ cōtrarium. *Tertiò*, aut nulla erit omnino prædestinatio, aut eius causa hominum voluntas erit. Vtrūq; iamdudum ex omnibus Theologorum scholis explosum est. Nam prædestinationem, eamq; certam, Scriptura, Augustinus, & nulli Theologi fortiùs quàm Scholastici cōfirmant.

Cuius nulla alia ratio afferri poteſt, præterquã voluntas Dei, vt Auguſtinus & Thomas millies. At ſi voluntas noſtra ratio & conditio ſit ſalutis noſtrę, tũ nullá in Deo certa prædeſtinatio ſtatui poteſt, quia tum Deus vellet ſalutem noſtram conditionaliter: aut ſi verbo prædeſtinatio ponatur, eam neceſſe eſt noſtræ voluntati accommodatã eſſe. Sed Auguſtinus & Thomas invictis rationibus docent, adeo non eſſe voluntatem noſtram prædeſtinationis divinæ cauſam, vt contrà divina prædeſtinatio cauſa ſit eius voluntatis, qua nosmetipſi ſalvos eſſe volumus. Quantum inter has opiniones intervalli eſt? *Quartò*, hæc opinio infantes omnes iugulat, qui voluntate ſua ad Chriſtũ venire, & ſalutem oblatam amplecti nequeũt. Si ergo Deus vult omnes ſervari, ſed non niſi eâ lege, ut ipſi velint: tum infantes omnes ab omni ſpe ſalutis excluſiſſimi ſunt, cùm nullam ſalutis ſuæ aut voluntatem aut intelligẽtiam habeant. At Paulus aliter, ſanctorum liberos ſanctos eſſe pronunciat: ſi ſancti, ergo ad Eccleſiam pertinent; ergo ſervari poſſunt; ergo illorum ſalus non à propria voluntate. *Quintò*, hoc eſt ponere liberum arbitrium, non ut Papiſtę modò ſolent, ſed ut Pelagiani; eſſe in nobis, ſervari ſi volumus. Igitur & nos Papiſtas immeritò accuſamus de libero arbitrio, & Pelagium Auguſtinus olim iniuſtiſſime hoc nomine damnavit. Forſan non hoc nomine damnatus eſt Pelagius. Hoc ipſo inquam nomine & crimine. Auguſtinus epiſt. 107.

107. contra Pelagium ſententias quaſdam proponens, *multi* (inquit) *ſalvi non fiunt, non quia ipſi. ſed quia Deus non vult.* Itáne Deus non vult multos ſervari; quiq́; aliter exiſtimant, Pelagiani ſunt, nec intelligunt omnino, qua locutione ſit dictum, quòd omnes homines ſalvos fieri Deus velit? Sic ſanè Auguſtinus, ſi non Pelagio potiùs quàm Auguſtino aſſentiendum ſit. Iterum ibi, quarta ſententia eſt contra Pelagium, gratiam Dei non dari hominibus ſecundùm aut opera aut voluntatem. At ſi Deus dat gratiam, quia homo gratiam recipere vult, gratia ſecundùm voluntatem datur, quod Pelagianum eſt. Concilium Arauſicanum ſecundum, quod cõtra Pelagianos certa capita promulgârit, 3. cap. ait, qui gratiam Dei poſſe conferri invocatione humana dixerit, eum Eſaiæ Prophetæ contradicere: & quarto, ſi quis contendit voluntatem noſtram expectare Deum, ut à peccato purgemur, non etiam ut velimus purgari, in nobis fieri per infuſionem Spiritus ſancti, eum Spiritui ſancto reſiſtere. Si Deus vult, quia nos volumus, tum Deus noſtram voluntatem expectat, non infundit: quod in Pelagio Cõcilium damnavit, nos in Papiſtis & novis Pelagianis probare non poſſumus. *Sextò* & poſtremò, ineptum eſt dicere, Deum velle nos ſervari, ſi volumus nos, cùm nos nec velle poſſimus, niſi ut velimus Deus faciat, & Deus non omnibus tribuit hanc voluntatem. Omnibus autem datã eſſe hanc gratiam & voluntatem, uſq; adeo Pe-

 lagianum

lagianũ eſt, vt nil ipſe Pelagius extulerit, quod Catholicos Eccleſiæ Patres magis offenderet, Auguſtinus epiſt. 107. cap. 4. *Scimus non omnibus hominibus dari gratiam.* Et illud celebre Auguſtini, *cur Deus trahat hunc, non trahat illum, noli velle dijudicare, ſi non vis errare.* Et de peccatorum merit. & remiſſ. lib. 2. cap. 18. *Bonam voluntatem Deus quibuſdam dari voluit, quibuſdam noluit.* Quare Thomas acutiſſimè de veritate, *Quod omnibus datur, id naturale eſſe.* Erit igitur gratia non iam gratia, ſed natura, ſi omnibus data fuerit, ſi omnes trahantur à Patre, ſi vniuerſalis, id eſt, vniuerſis communicata gratia ſit. Et quid iam prohibet Pelagium ex inferis evocare, & laureatum in Divorum album referre? Auguſtinum, Proſperum, tam multos Eccleſiæ Patres, de cœleſti regno, vt malę fideį poſſeſſores detrahere, atq; ad inferos amandare? Sed iaceat Pelagius in puteo infernali cum putidiſſimâ hæreſi ſuâ, nos vt Pelagij nomen odimus, ita Pelagij opiniones repullulantes reſecemus.

Sed antequam hunc locum concludo, ex his quæ dicta ſunt, propoſitiones, aut vt Scholarum verbo vtar, corollaria ſex deducam. *Prima propoſitio eſt.* Prædeſtinatorum certus eſt numerus, qui nec augeri nec minui poteſt. Auguſtini hæc verba ſunt, de corrept. & grat. cap. 13. & Thomæ in primâ part. q. 23. art. 7. vbi etiam ait certum eſſe, nõ modò ratione cognitionis, quia ſcit quot ſit ſalvãdi (ſic enim certus eſt numerus Deo guttarum pluviæ, & arenæ maris, & capillorum

lorum nostrorum capitum) sed ratione electionis & definitionis. Non igitur salus nostra tam laxo vinculo nostræ voluntatis continetur. Solus Deus hunc numerum novit, nostrum est, ex regula charitatis de omnibus iudicare, donec Deus iudicia sua palàm protulerit. *Secunda*, causam prædestinationis nullam posse nominari, præterquam Dei gratuitam, & liberam, & simplicem voluntatem. Sic Augustinus constanter, postquam est à Pelagianis benè exercitatus, & quodammodo politus: antè quidem paulò aliter, sed errorem suum agnovit. Nec Thomas ab Augustino latum vnguem discedit. Hic in 1.p.q.23.art.5. sic habet. Cur Deus quosdam elegerit, quosdã verò reiecerit, posse causam assignari extra Deũ, eius nempe gloriã: sed quare hunc elegerit, nõ illum, nullã causam afferri posse, prçterquam Dei simplicem atque absolutam voluntatem. Vt qui ædificat, aliam materiæ partem in imo, aliam in summo collocat, quia perfectum opus instituit: sed si quæras, cur hunc lapidem in imo potiùs quàm summo posuerit, nòn aliud audies, nisi quòd ei sic placuerit; & ea ratione contentus esse debes. Nos Deum iniustum esse clamabimus, nisi de quaque actione nostræ morositati satisfecerit? Discurre in hoc labyrintho, & te fatiga pluscululum: nil proficies, exitum non invenies. Ita etiam in 9. ad Rom. & contra Gentiles lib. 3. cap. 161. & multis alijs in locis. *Tertia*, Deus sine iniustitia potest de hominibus vniversis statuere,

quicquid ipsi placuerit, in alterutram partem. Id Apoſtolus in 9. ad Roman. figuli exemplo probat, quod documentum Apoſtolicum tam eſt illuſtre, ut nullas eluſiones patiatur. Quare Auguſtinus iſtis quæſtionibus preſſus, duo ſe dicit habere, quæ reſpondeat; non eſt iniquitas apud deũ; & ô altitudo! habet enim ille vitæ neciſq; ius. Viſſes filiũ ſuũ aratro cavit ne perſtringeret. Et piè. Homini nõ licet hominẽ ne filium occidere: filius enim eſt, non creatura, non figmentum. At nos Dei *κτίσματα* ſumus, *πλάσματα, ποιήματα*. Ergo in nos abſolutam poteſtatem habet. Quare ſi nos non ſervamus alium ab interitu, cùm in noſtra poteſtate ſit, homicidæ ſumus: Deus ſine culpa perire innumerabiles permittit. *Quarta*, Nemo ad ſalutem aſpirare poteſt, niſi ei divinitus data fuerit voluntas & facultas. Chriſtus ait, *Nemo ad me venit, niſi ei datum fuerit:* iterum, *Nemo ad me venit, niſi pater meus traxerit eum:* & Paulus, *Nil operari bonum aut velle poſſumus ex nobis.* Rectè Proſper ad cap. Gal obiect. 8. *Sine Dei gratia nemo currit ad gratiam.* Pelagius olim contra; ſed convictus authoritate Scripturarum, obmuteſcere coactus eſt. Taceant diſcipuli Pelagij, nec illi confutato magiſtro obſtrepere auſint. *Quinta*, Deus non dat gratiam ſuam omnibus, non vocat omnes, non inſpirat omnibus eam voluntatem, ut veniant: non omnes Chriſtum, unicam viam ad ſalutem, cognoſcunt. Paulus Act. 14. *Deus antebac ſivit omnes gentes in ſuis ipſarum viys ambula-*

re:

re: & Propheta, *Olim non populus, olim non dilecta*: & nunc tertia pars hominum adeo non est prædita fide & notitia Christi, ut ne famã Christi tenui rumore audierint. Augustinus adeo non dari omnibus gratiam ait, ut ne vocentur quidem omnes ad gratiam. Non vocari omnes homines ad gratiã, Augustino Pelagiani quasi errorem invidiosum objiciebant. Sed Prosper ad capitula Gallorum obiect. 4. verissimum esse probat, quod Augustinus docuit. *Sexta*, Deus non vult omnes mortales in genere, voluntate τ̃ εὐδοκίας, servari: tum enim quenquam damnari esset impossibile. Quid? falsamne Scripturam esse dicemus, quæ 1. Sam. 2. filios Eli sacerdotis testatur nõ auscultâsse pijs monitis parentis, quia Deus voluit illos perdere? Hos Deus volens permisit ruere in exitium: frustra ergo fuit quicquid pater quotidie illis consilij dabat, ut eos ad bonam frugẽ revocaret. Non auscultabãt, imò nõ poterant auscultare, quia illos Deus devoverat neci. Quos igitur servare vult, eorum mentes inclinat gratiâ suâ ad obsequendum vocibus divinis: cæteros in duritia & nequitia sua progredi sinit: omnes nascimur iræ & exitij mancipia: nec possumus ex hac miseria liberari, nisi nos Deus extrahat gratiâ suâ, quam ille non impartitur omnibus, quia non vult. Rectè igitur Augustinus epist. 106. *Laudet misericordiam Dei, qui liberatur, non culpet iudicium, qui punitur*. Quare nunc concludo cum Augustino Epist. 107. hæc verba Apostoli,

Deus

Deus vult omnes homines servari, &, *vivo ego, nolo mortem peccatoris*, alio modo intelligenda esse, & posse intelligi, quam ut huic apertissimæ veritati, multos nolente Deo salvos non fieri, contraria sint. Lege August. de prædest. & grat. cap. 2.

Hæc breviter dicenda habui, nobilissimi auditores, de loco difficili, de quæstione lubrica, de re cùm semper tum nunc necessariâ, contra Pelagium, cuius opiniones ita populares sunt, ingenioq; humano aptæ atq; amicæ, vt parum abfuerit, quin Augustinus, quòd Pelagium refutaret, in commune odium incideret. Nihil ego proposui, nisi quod firmissimis Scripturis, & enucleatissimis Augustini, veterisq; Ecclesiæ testimoniis nitatur. Nec possum non resistere Pelagio, qui quanquam olim ab Augustino egregiè refutatus est, subinde tamen non conquievit, & turbas dedit, atque in Academias, vrbes, Aulas, irrupit. Quanquam autem nonnulla sunt in hac hæresi ad fallendum accommodata, non tamen difficile erit sibilum serpentis agnoscere, si quis paulisper attenderit ad Scripturas. Et certè verum Plutarchus dixit, τὰ δίκαια ἀήττητα, ἐὰν ὀρθῶς λέγηται. Hîc finio.

FINIS.

Index locorum S. Scripturæ, QVI IN HOC LIBRO CItantur & explicantur.


FINIS.

Index Rerum.

Numerus paginam denotat.

102.

FINIS.



ERRATA SIC CORRIGITO

Pag.	Lin.	Pro	Lege
56.	28.26.	κἄν	κᾆν
78.	17.	qnorum	quorum.
83.	27.	præcribendi	præſcribendi.
89.	14.	18.	28.
135.	18.	Theoderetus	Theodoretus.
147.	15.	Antichriſtinisſimū	Antichriſtianisſimum.
189.	10.	υφισαμένων	ὑφισαμένων.
261.	13.	Ceda	Beda.
261.	14.	Bryſoſtomus	Chryſoſtomus.
265.	30.	ſanctns	ſanctus.
296.	28.29.	*ſic repone.*	& alterum ſub Conſtātino Copronymo, in quibus vtriſq; imagines damnatæ ſunt. Et hoc poſterius.
298.	25.	*ſic lege.*	Conſtantinopolitanum ſecundum εἰκονόμαχον.

Cætera benevolo lectori corrigenda relinquimus.